


1570

J411 /E 360

1570

1570




Yubbetus eligunt polusotumpsue

Emptus ij assibus

1570

Winnimus auctus Winnimus auctus






Si nomen meum fuerit Yubbetus plurimus subnotus cognomine eligunt dicitur esse

1570

FAMILIA

RIVM COLLOQVIORVM
formulæ, per D. ERASMVM
Roterodamum, multis adiectis,
non tantum ad linguam pue
rilem expoliendam utiles,
uerum etiam ad ui-
tam instituen-
dam.





FAMILIARIA COLLOQVIA IN PRIMO CONGRESSV.

NON TEMERE DOCET quidam, ut salutemus libenter. Comis enim & blanda salutatio sæpe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit: arte mutuam beneuolentiam alit augetq;.

Quidam usque adeo Demeæ sunt, ingenioq; agresti, ut uix salutati resalutent. Nonnullis hoc uicij contulit educatio uerius, quàm natura.

Vrbanitatis est salutare obuios, eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, cœnantes, ositantes, singultientes, sternutantes, tussientes. In ructu crepituue uentris salutare, hominis est plus satis urbani.

Sed inciuilius etiam eum salutare, qui reddit urinam, aut aluum exonerat. Salue pater, salue matercula, salue mi frater, salue præceptor obseruande, salue multum mi patrue, salue dulcissime nepos. Vrbanum

est addere cognationis, aut affinitatis titulum, nisi cum habent aliquid odij. Tum enim præstat abuti minus quidem proprijs, sed plausibilioribus. Veluti cum uxorem salutamus matrem, priuignum filiũ, uitricum patrem, sororis maritum fratrem, fratris uxorem sororem. Idem in ætatis aut officiorum titulis faciendum. Gratius enim fuerit, si senem patrem, aut uirum eximium salutes, quàm ætatis cognomine. Salue præfecte, salue tribune. Non autem salue caligarie aut calcearie. Salue adolescens, salue iuuenis. Senes ignoti adolescentes filiorum cognomento salutant, adolescentes uicissim illos patres aut dominos.

BLANDIOR SALVTATIO INTER AMANTES.

Salue
- mea Corneliola.
- mea uita.
- mea lux.
- meum deliciũm.
- meum suauium.
- mel merum.
- mea uoluptas unica.
- meum coraulum.
- mea spes.
- meum solatium.
- meum decus.

QVIORVM FORMVLAE.

HONORIS GRATIA AVT SECVS.

Salue here. Ohe salue tu quoq; bone uir.
Salue uir ornatißime, clarißime.
Salue etiam atq; etiam literarum decus.
Salue plurimum amicorum optime.
Salue mi Mœcenas. Salue patrone singularis.
Salue uir spectatißime. Salue literarum decus.
Salue Germaniæ deliciũm. Saluete quotquot estis una salute omnes. Saluete pariter omnes.
Saluete belli homunculi. Salue congerro lepidißime.
Salue uinu pernicies.
R. Salue & tu gurges helluoq; placentarum.
Salue multum uirtutis omnis antistes.
R. Salue tantundem totus probitatis exemplar.
Salue ancilla annos nata quindecim.
R. Salue puella annorum octoginta.
Bene sit tibi cum tuo caluicio.
R. Bene tibi cum lacero naso.
Vt salutaris, ita resalutaberis. Si male dixeris, peius audies. Salue iterum atq; iterum.
R. Et tu salue perpetuum. Salue plus milies.
R. Equidem malim saluere semel. Salue quantũ uis.
R. Et tu quantum mereris. Saluere te iubeo.
R. Quid si nolim? Equidem ægrotare malim, quàm tua salute saluere.

Salua sit tua
- Sanctitas
- Amplitudo.
- Celsitudo.
- Maiestas.
- Beatitudo.
- Sublimitas.

magis uulgo receptæ sũt q̃ probatæ doctis.

IN TERTIA PERSONA

Sapidus Erasmo suo salutem dicit.
Sapidus Beatum suum plurima salute impartit.

ALIA FORMA.

Saluus sis Crito. Bene sit tibi ut optime.
R. Et tibi melius. Pax tibi frater. Christiana salutatio est à Iudæis profecta, neq; tamen repudianda.
Similis est: Bona uita. Aue præceptor.
R. Equidem malim habere, quàm auere. Xẽuge.
R. Memento te Basileæ esse, non Athenis.
R. Quur tu igit̃ audes Romane loq cũ Romæ nõ sis.

BENE PRECANDI FORMVLAE

Et bene precari salutationis genus est.

GRAVIDAE.

Faxit deus, ut feliciter parias.
Vt maritum pulchra prole fãas parentem.
Faxit illa uirgo mater, ut feliciter fias mater.
Precor ut hic tumor uteri, feliciter subsidat.
Velint superi, ut non maiore molestia elabatur, q̃ illa-

pſum eſt, quicquid eſt hoc oneris quod geſtas.
Donet tibi deus felix puerperium.

CONVIVIS.

Sit felix conuiuium. Bene ſit unuerſo cœtui.
Precor omnia læta uobis omnibus.
Deus bene fortunet ueſtrum conuiuium.

STERNVTANTI.

Sit fauſtum ac felix. Seruet te deus. Sit ſalutiferum. Bene uertat deus.

AVSPICANTI QVIPPIAM.

Sit felix & fauſtum reip. Bono ſit oibus, quod inſtituis Bene uertat quod agis. Bene fortunet deus tuos labores. Faueant ſuperi tuis conatibus. Quæſo ut quod inſtituiſti, ſuperis bene fortunantibus, feliciter abſoluas. Bene fortunet Chriſtus opt. Max. quod in manibus eſt. Feliciter cedat quod inſtituiſti. Feliciter exeat, quod aggreſſus es. Rem ſanctã aggreſſus es, precor ut felix ſit exitus. Felix ac proſperũ numen, aſpiret pulcherrimis cœptis. Chriſtus bene cœpta ſecundet. Proſpere ſuccedat qđ auſpicatus es. Deũ opt. Maximumq; precor, ut iſtud conſiliũ q̃ eſt honeſtum, tam ſit & felix. Bonis auibus cœpta res, melioribus exeat. Precor ut bonis auibus Italiã adeas, melioribus redeas. Opto tibi feliciem curſum, & recurſum feliciorem. Faxit deus, ut itinere hoc feliciter peracto, breui tibi proſperum reditum gratulemur.

Contingat tibi feliciter & nauigare, & renauigare. Sit iter lætum, reditus lætior. Vtinam ista profectio tibi succedat ex animi tui sententia. Vtinam tibi tam tucunda sit ista profectio, quàm nobis erit interim molestum tui desiderium. Bonis auspicijs soluas ancoram. Precor, ut ex utrusque uotis, succedat hoc iter. Precor, ut hic contractus commodo, bonoq; sit utrisque. Precor, ut hoc matrimonium, uoluptati sit omnibus nobis. Sospitet te Iesus opt. Max. Superi propicij te nobis incolumem restituant. Seruet deus animæ dimidium. Opto tibi reditum incolumem. Precor, ut hic annus tibi lætis auspicijs ineat, lætioribus procedat, lætissimis exeat, ac sæpius recurrat semper felicior.

RESPON. At ego tibi uicissim multa sæcula feliciss ma precor: ne tu gratis sis nobis bene precatus. Precor, ut hic dies tibi candidus illuxerit. Precor, ut hic sol tibi felix surrexerit.

R. Tantundem tibi reprecor. Sit felix exortus huius dici: & sit utriq; nostrum prosperrimus. Opto tibi noctem prosperam pater. Precor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix somnus. Det deus placidam quietem. Det somnum absq; somnijs. Faxit deus, ut aut placide dormias, aut feliciter somnies. Sit tibi fausta nox. At ego tibi, quando gaudere soles lucro pro una fausta tibi mille precor faustissimas.

VALE IN DIGRESSV.

Valete omnes. Bene uale. Cura ut quàm rectißime ualeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Iubeo te bene ualere. Iam me tempus aliò uocat, tu ualebis. Valeto quàm optime. Vale pancratiæ, aut ſi mauis Athletiæ. Vale ut dignus es. Vale ut meritus. In hoc biduum ualebis. Si me dimittis, ualebis in craſtinum. Num quid uis? Eſt aliud quod me uelis?

R. Nihil niſi ut proſpere ualeas.

Da operam, ut ſis proſpera ualetudine. Age curam ualetudinis tuæ. Habe curam ſalutis tuæ. Fac ut proximo congreſſu te lætum ac nitidum uideamus. Iubeo te curare cuticulam. Cura ut ſit mens ſana in corpore ſano. Da operam ut totus ualeas, tum corpore, tum animo.

R. Dabitur quidem opera. Valebis tu quoque. Tibi uiáßim precor proſperam ualetudinem.

SALVTARE PER ALIVM

Frobenium iubebis meo nomine ſaluere plurimum. Eraſmiolum item mea cauſa ſalutabis diligenter. Tum matri Gertrudi quàm potes officioſißime, ex me ſalutem dicto. Dic me omnibus omnia læta precari. Salutabis mihi totam ſodalitatem diligenter. Amicos omnes meis uerbis ſalutato. Vxori ſalutem ex me annunciabis. Fratri tuo in litteris

tuis meo nomine salutem asscribes. Mei uicæ saluta bis affinem meum. Nunquid tuis mandas per me?
R. Vt recte ualeant. Est ne quod uelis ad tuos perferri me nuncio?
R. Multam salutem omnibus, sed præcipue patri. Sunt quos per me tuo nomine uelis salutatos?
RESP. Omnes qui de me percontabuntur. Salutem quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum fœnore referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omneis mea gratia uiasim salutabis accurate.
In amicis salutandis sis quæso mihi uicarius. Salutassem generum meum per literas, sed tu mihi apud illum epistolæ uicæ fueris. Heus heus quo properas?
RESP. Recta Louanum. Resiste paulisper, est quod tibi mandem. RESP. Atqui pedibus non conuenit saranæ. Quid rei est? RESP. Vt Goclenium, Rutgerum, Ioannem Campensem, totumq; chorum trilinguem mihi salutes.
R. Si nihil aliud imponis saranæ præter salutes facile perferam. Atqui ne gratis isthuc faaas, precor ut tibi quoq; euntí ac redeunti salus sit comes.
Saluebis à Cicerone meo.

REDVCEM QVOMODO SALVTARE OPORTEAT.

Saluum te aduenire gaudemus. Sospitem adesse uolupe est. Te nobis redditum esse uoluptati est.

Gratulamur tibi felicem reditum. Gratia superis, q̃ nobis incolumis redieris. Quo molestius fuit nobis tui desiderium, hoc redditus conspectus tui iucundior est. Gratulamur & tibi & nobis, q̃ uiuus ac ualens nobis restitutus sis. Hoc reditus tuus est nobis iucundior, quo minus expectatus.

R. Ego uiâsim lætor, q̃ incolumis, uos incolumes offenderim. Quod te saluum repererim, uehemẽter gaudeo. Non uiderer mihi redisse saluus, nisi uos saluos reperissem. Nunc demum mihi uideor sospes, cum uos incolumes ac pulchre ualentes conspicio.

PERCONTANDI FOR. IN PRIMO CONgressu, Georgius, Liuinus personæ

G. Ex qua tandem orte aut cauea nobis ades?

L. Quid ita? G. Quia male saginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Vnde prodis?

L. E collegio montis acuti. G. Ergo ades nobis onustus literis. L. Imò pedialis. G. Pulchre comitatus aduenis. L. Sanè, nec tutum est nunc uiatorẽ tre incomitatum. G. Agnosco satellitium scholasticum. Ecquid nouarum rerum adfers è Lutetia?

L. Illud imprimis quod sâo tibi uidebitur incredibile. Lutetiæ Beta sapit, & Quercus concionatur.

G. Quid tu narras? L. Hoc quod audis.

G. Quid ego audio? L. Hoc q̃d narro. G. Mon

stri simile. Oportet illic fungos & lapides esse audito res, ubi tales concionentur. L. Atqui sic res habet. Nec audita narro, sed comperta. G. Oportet igitur illic plurimum sapere homines, si sapit Beta & Quercus. L. Recte coniectas.

ALIA.

G. Vales ne? L. Contemplare uultū. G. Quin magis lotium iubes. L. An me putas medicum? G. Non rogo quid ualeas, nam facies ipsa loquitur te belle ualere, sed quomodo tibi placeas. L. Corpus quidem belle habet, sed animo male est. G. At non ualet qui isthac parte laborat. L. Sic res habent meæ. G. Corpus ualet, sed ægrotat cruma. L. Facile isti morbo medebitur mater. G. Vt ualuisti usq; ? L. Varie: ut sunt res mortalium. G. Satin' recte uales? Salua ne res? Satin' salua res? Fuisti ne semper prospera ualetudine? L. Prosperrima, gratia superis. Ego dei beneficio perpetuo bellissime ualui. Semper prospera ualetudine sum usus. Hactenus bona ualetudine fui, fausta, incolumi, felicì, prospera, secunda, integra, basilica, athletica, pancratica ualetudine. G. Faxint superi ut isthuc sit perpetuum ac proprium. Lætus istud audio. Voluptatem mihi nuncias. Est isthuc mihi auditu perquàm iucundum. Sermonem istum exaudire supra modum gaudeo. Isthuc haud inuitus

audio. Oppido lætor isthuc audire ex te. Vt idem semper facias opto. Vt ad istum modum quàm diutissime ualeas opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia superis. Gratiam habeo superis. L. Equidem pulchre ualeo, si tu uales. G. Nihil interim molestiæ fiunt? L. Nihil, nisi quod uestra consuetudine frui non licuit. G. Quo pacto uales? L. Recte, pulchre, belle, perbelle, bellissime, perpulchre, feliciter, commode, minime male. Valeo ut uolo, potius quàm ut mereor, basiliæ, pancratiæ, athleticæ. G. Expectabam, ut diceres etiam tauriæ.

MALE VALERE.

G. Rectène uales? L. Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem utcunq; ualeo. Sic satis. Valeo ut possum, quando ut uolo non licet. Vt soleo. Ita ut superis usum est. Non optime sanè. Sic ut antehac peius nunquam. Valeo ut solitus sum. Valeo ut solent quibus cum medicis res est. G. Vt uales? L. Secus quàm uellem. G. Qua ualetudine es? L. Haud sanè commoda, incommoda, perquàm incommoda, infelicia, parum prospera, parum secunda, mala, aduersa, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, uix mediocri, longe alia q̃ uellem, tollerabili, qualẽ optem hostibus meis. G. Rem mihi sane quàm acerbam narras. Proh

beant superi. Auertat deus. Bona uerba. Hic capiam te uanum esse. Bono sis animo oportet. Forti, infracto q; sis animo. Multum iuuat, animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunæ secundioris. Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus? L. Nescio, & hoc laboro periculosius. G. Verum. Nam ad sanitatem gradus est, nouisse morbum. Nullósne consuluisti medicos? L. Et quidem permultos.

G. Quid respondent? L. Id quod aduocati Demiphon apud Comicũ. Alius negat, alius ait, alius deliberandum censet. In hoc consentiunt omnes me miserum esse. G. Quàm pridem habet te hoc mali? Diu est quod teneris isto morbo? Quantum temporis est, quod te malum hoc corripuit? L. Dies plus minus uiginti. Fermè mensis est. Iam tertius est mensis. Mihi quidem seculum uidetur, quod ægrotare cœpi. G. Aduitendum censeo, ne morbus fiat familiaris. L. Iam nimium assuecuit. G. Num est hydrops? L. Negant. G. Num dysenteria? L. Non arbitror. G. Num febris? L. Opinor febris esse specie, sed nouam: ut nunc noui subinde morbi exoriuntur antehac incogniti. G. At plus satis erat ueterum. L. Ita uisum est naturæ, nimium nouercæ.

G. Quoto die recurrit dolor? L. Quoto die nar-

ras? imò quotidie sæpius q̃ Euripus. G. Papæ malum abominandũ. Vnde contraxisti malum? Vnde suspicaris hoc esse collectũ mali? L. Ex media. G. At non soles usq; adeo superstitiosus esse, ut te ieiunio macrares. L. Non erat religio, sed inopia. G. Quænam? L. Quia non dabatur ãbus. E frigore natum arbitror. E putribus ouis morbum ortum suspicor. E uino plus satis diluto. E crudis malis contracta est stomachi cruditas. G. Vide ne ex immodico aut intempestiuo studio conãliaris hoc mali: Aut ex potatione largiore, aut Venere parum moderata. Quin accersis medicum? L. Timeo ne ãtus morbum augeat, q̃ admat. Metuo ne pro remedio det uenenum.

G. Deligendus est igitur cui tuto fidas. L. Si moriendum est, malo semel mori, quàm tot pharmacis exanimatus. G. Fac igitur, ut ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor ut sit tibi medicinæ deus. Sunt qui tecti cucalla Dominicali aut franãsca mala reualuerunt. L. Idem fortassis euenisset, si leonis pallio tecti fuissent. Verum ista diffidenti nihil conduant. G. Fide igitur ut reuuiscas. Alij morbo leuati sunt, nuncupatis alicui duo uotis.

L. At ego cum duuis non paciscor.

G. Proinde tu uel à Christo, cui fidis, pete sanitatis beneficium. L. At ego an beneficium sit nescio. G. An non beneficium est liberari morbo?

L. Nonnunquàm mori feliàus est. Ab illo nihil peti, nisi ut quod sat optimum esse mihi largiatur. G. Sume quod aluum deijàat. L. Iam sua sponte dia est. G. Ciendus est aluus. Mouendus est aluus. L. Imò sistendus est magis. Nam plus satis profluit.

ALIA.

G. Fuit ne tibi hoc iter fauſtum & commodum? L. Sic satis: nisi q, nihil usq; tutum est a latronibus. G. Hic est belli ludus. L. Est, sed sceleratissimus. G. Pedes aduenis, an eques? L. Partim pedestri itinere, partim uehiculo, partim equo, partim nauigio. G. Quo in statu sunt res Gallicæ? L. Sanè turbulento. Magnæ bellorum minæ sunt. Quid mali allaturi sint hostibus, nesão: certè Galli iam ipsi nõ diæ ndis malis affliguntur. G. Vnde profiaſcuntur isti bellorum tumultus? L. Vnde nisi ex stultitia Monarcharum. G. At horum prudentia conueniebat sedari rerum humanarum tempestates. L. Sedant illi quidem, sed ut auster mare. Persuadẽt sibi se deos esse, suáq; causa mundum hunc esse conditum. G. Imò princeps rei publicæ gratia constituitur, non respublica principis causa. L. Imò non desunt Theologi, qui frigidam suffundant, & ad hos tumultus classicum canant. G. Istos ego statuerem in prima aãc. L. At illi sibi cauent post principia. G. Ista publica satis curanda relinquamus.

quamus. Tuæ res quo tandē in statu sunt? L. Optimo, felici, mediocri, tolerabili. G. Quo pacto se res habent tuæ? num ex uoto? L. Imò supra uotum, supra meritum, supra spem. G. Satin' ex sententia? Satin' salua omnia? Satis ne prospere omnia? L. Res in peiore statu esse non potest. Peiore in loco negotium non potest esse. G. Non ergo capisti igitur quod captabas? Non contigit præda quam uenabaris? L. Venabar equidem, sed irata Delia. G. Nihil reliquum est spei? L. Spei permultum, sed rei nihil. G. Episcopus nihil ostendit spei? L. Tota plaustra, totas naues, sed præterea nihil. G. Nihil adhuc misit? L. Promisit quidem largiter, at ne terunciam quidem misit. G. Ergo spe alendus est animus. L. Sed hac non cognatur uenter. Qui spe aluntur, pendent non uiuunt. G. Sed hoc eras ad iter expeditior, quod nihil esset oneris in zona. L. Fateor, atq; etiam tutior. Nulla enim sunt arma certiora aduersus latrones. Sed ego malum & onus & periculum. G. Nihil ne tibi ademptū est in uia? L. Mihi ne? Quæso quid eripias nudo? Alijs altius periculum erat à me. Liaut mihi uacuo uiatori, per totum iter canere & esurire. Nunquid uis? G. Quò nunc hinc abis? L. Rectà domum, salutaturus penates, iam diu non uisos.

G. Precor ut illic offendas omnia læta. L.

Vtinam ita uelint superi. Nihil interim extitit noui domi nostræ? G. Nihil, nisi quod reperies auctam familiam. Nam tua Catulla peperit tibi catulum absenti. Tua gallina peperit tibi ouum. L. Bene nuncias. Grata nunciás. At ego tibi pro isthoc nuncio polliceor Euangelium. G. Quod nam? secundum Matthæum? L. Non, sed secundum Homerum. En, accipe. G. Tibi serua tuum Euangelium. Mihi saxorum satis est domi. L. Ne sperne munusculum. Aëtites est, qui grauidis admotus in uxu, maturat partum. G. Quid ais? Est mihi sanè gratissimum. Dispiciam, unde possim hoc donum pensare. L. Abunde pensatum puta, si boni consulueris. G. Imò nihil accidere potuit magis in tempore. Nam uxori meæ iampridem tumet uterus. L. Illud igitur abs te stipulabor, ut si masculum ædiderit, me susceptorem asciscas. G. Polliceor, ac tuum indetur puero nomen. L. Quod utrisq; bene uertat. G. Imò nobis oibus.

PERSONAE. MAVRICIVS.

CYPRIANVS.

M. Rediisti nobis obesior solito. Rediisti procerior.
C. At equidem mallem prudentior, aut doctior.
M. Imberbis abieras, rediisti barbatulus. Contraxisti tibi absens nonnihil senij. Quid sibi uult hic pallor, quid mades? quid frons caperata? C. Vt est forma, sic est corporis habitus. M. Num aduersa?

C. Nunquam mihi quidem ſequunda, ſed nunquam reflauit odioſius. M. Doleo uicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid iſthuc mali eſt?

C. Vniuerſæ pecuniæ naufragium fecit. M. In mari? C. Non, ſed in litore: nondum nauem ingreſſus. M. Vbi nam? C. In litore Britannico. M. Bene habet quod ipſe nobis uuus enatasti. Præſtat pecuniæ iacturam facere quàm uitæ. Leuius eſt pecuniæ diſpendiũ quàm famæ. C. Vita famáq; incolumi, periit pecunia. M. Vita ſarcire nullo pacto poteſt, fama ægre poteſt, pecunia facile aliunde ſaràetur. Qui malum hoc accidit? C. Neſcio, niſi quod ſic erat in fatis meis. Sic uiſum eſt ſuperis. Sic libuit genio meo malo. M. Vides igitur doctrinam ac uirtutem tutiſſimas eſſe diuitias, quæ nec eripi poſſunt, nec grauant aranſferentem.

C. Pulchre tu quidem philoſopharis. Sed interim ego ringor.

ALIA. PERSONAE.

Claudius. Balbus.

C. Gratulor tibi reduã Balbe. B. Et ego tibi ſuperſtiti Claudi. C. Gratulor tibi in patriam reuerſo. B. Imò gratulare magis è Gallia profugo. C. Quid ita? B. Quia illic bellis feruent oĩa. C. Quid Muſis cum Marte? B. Atqui illic ne Muſis quidem paratur. C. Tu igitur feliciter elapſus es.

B. At non sine periculo. C. Totus alius nobis redi-
sti. B. Qui sic? C. Ex Hollando uersus es in
Gallum. B. Quid? an capus eram quum hinc abi-
rem? C. Vestis indicat te mutatum ex Batauo in
Gallum. B. Hanc metamorphosin malim quàm
in gallinam. Sed ut cuculla non facit monachum, ita
nec uestis Gallum. C. Iám ne calles Galliæ?
B. Sic satis. C. Quo pacto didicisti? B. A ma-
gistris haud quaq̃ mutis. C. Quibus? B. A
mulieralis quouis turture loquacioribus. C. In
tali ludo facile disimus loqui. Sonás ne probe ser-
nem Gallicum? B. Imò & Latinum sono Gallica.
C. Nunquàm igitur scribes bona carmina.
B. Quur ita? C. Quia periit tibi syllabarum
quantitas. B. Mihi satis est qualitas. C. Quid,
est ne Lutetia immunis à pestilentia? B. Non est, sed
perpetua non est: aliquando remittit sese, mox recru-
descit, nonnunquàm intermittitur, deinde recipit se-
se. C. Non sat erat malorum, ubi bellum est?
B. Erat, nisi secus esset uisum superis. C. Annue-
næ caritatem isthic esse oportet. B. Imò penu-
riam. Omnium rerum illic inopia est, præterquàm sce-
leratorum militum. Bonorum utrorum illic est mi-
ra uilitas. C. Quid accidit Gallis, ut bellum faci-
piant cum aquila? B. Quia mouet illos exem-
plum scarabei, qui non æsit aquilæ. In bello nemo sit

non uidetur Hercules. C. Non te remorabor diu tius. Aliás latius nugabimur: quum erit utriq; commodum. Nunc aliò me uocant negotiola quædam.

DOMESTICA CONFABVLATIO.

personæ. Petrus, Mida puer, Iodocus.

Petrus. Heus heus puer, nemon' huc prodit? M. Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput. Quid adfers mi Petre? P. Meipsum. M. Næ tu rem haud magni precij huc attulisti. P. Atqui magno constitit patri meo. M. Credo, pluris quàm reuendi possis. P. Sed Iodocus est ne domi? M. Incertus sum, sed uisam. P. Quin tu potius abi, & roga ipsum, an uelit nunc esse domi. M. Abi tu potius, sisq; tibi ipsi Mercurius. P. Heus Iodoce, num es domi? Iod. Non sum. P. Impudens, non ego audio te loquentem? Iod. Imò tu impudentior. Nuper anullæ tuæ credidi te non esse domi, & tu non credis mihi ipsi? P. Aequum dicis, par pari relatum. Iod. Equidem ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi posthac semper ero. P. Sed tu mihi uidere Cochleæ uitam agere. Iod. Qui sic? P. Quia perpetuo domi lates, nec usquam prorepis. Non secus atq; claudus sutor, iugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis. Iod. Est quod agam domi, foris nihil est negocij.

Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico cohibuisset. P. At nunc sudum est, & inuitat ad deambulandum. Vide ut blanditur.
Iod. Si prodeambulare lubet, non recuso. P. Planè uidetur hoc utendum cœlo. Iod. Assændus est unus aut alter congerro. P. Fiet, modo dicas quos uelis. Iod. Quid si Hugonem? P. Haud multum interest inter Hugonem & nugonem.
Iod. Age placet. P. Quid si Alardum?
Iod. Homo minime mutus est. Quod auribus diminutum est, lingua pensat. P. Si detur, Nerium adiungemus. Iod. Siquidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulones, superest ut locum dispiciàs amœnum. P. Ego uero tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smaragdinum uirorem, nec fontium uuas scatebras desiderabis. Diæs dignam musis sedem.
Iod. Magnificè polliceris. P. Nimium affixus es libris. Nimium assides libris. Immodico studio te macerás. Iod. Malim studio macrescere quàm amore. P. At non ideo uiuimus, ut studeamus, sed ideo studemus, ut suauiter uiuamus.
Iod. Mihi uero uel immori chartis dulce est.
P. Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid uoluptati fuit hæc deambulatio? Iod. Mihi quidem uehementer oblectauit.

ALIA. PERSONAE.

Aegidius. Leonardus.

Aeg. Quò noster Leonardus? L. Ad te ibam. Aeg. Istud quidē facis insolens. L. Quam ob rem? Aeg. Quia iam annus est quod nos non uiseris. L. Malo in hanc peccare partem ut desiderer, quàm ut obtundam. Aeg. Imò boni amici nulla est apud me satietas. Imò quo crebrius uenies, hoc mihi uenies gratior. L. Quid interim agitur domi tuæ? Aeg. Multa sanè quæ nolim. L. Non miror. Sed iámne peperit uxor? Aeg. Iam dudum, & quidem gemellos. L. Quid ego audio? Aeg. Sic res habet, atq; illi iam denuo tumet uterus. L. Isthoc pacto solet augeri familia. Aeg. Sed utinam fortuna sic augeat pecuniam, ut uxor familiam. L. Iámne elocasti filiam? Aeg. Nondum. L. Vide ne parum tutum sit uirginem tam grandem detinere domi. Quærendus est gener aliquis. Aeg. Nihil opus. Iam proca complures illam ambiunt sponsam. L. Quid igitur superest, nisi, ut è multis deligas qui tibi maxime sit accommodus? Aeg. Omnes eiusmodi sunt, ut nesciam quem ui præferam. Sed abhorret à nuptijs filia. L. Quid ais? Atqui, ni fallor, iamdudum nubilis est. Iam dudum est apta uiro, matura coniugio. Iampridem est tempestiua uiro.

Aeg. Quid ni? annum egressa iam decimū septimum.

Maior annis duo de uiginti. Annum iam agens unde-uigesimum. Annos nata decem & octo. L. Cur abhorret igitur à matrimonio? Aeg. Ait se uelle Christo nubere. L. Sanè multas habet ille sponsas. An malo genio nupsit, quæ caste uiuit cum marito? Aeg. Mihi quidem non uidetur. L. Quis deus huc affectum afflauit filiæ? Aeg. Nesio, sed abduca ab hoc proposito nullis rationibus potest. L. Vide ne sint incantatores qui instigent & allectent. Aeg. Noui ego istos plagiarios. Sedulo arceo hoc hominum genus ab ædibus meis. L. Quid igitur est in animo? Morē geres animo puellæ? Aeg. Equidem obluctabor quoad licebit. Nihil non experiar, quo mutem illius sententiam. Quod si pertendet, ut cœpit, non pugnabo cum illius animo, ne forte uideat θεομαχεῖν, uel potius μονομαχεῖν. L. Religiose tu quidem loqueris. Sed etiam atq; etiam fac explores uirginis constantiam, ne post facti pœniteat, quum mutare non erit integrum. Aeg. Equidem adnitar pro mea uirili. L. Quid rerum gerunt filiæ? Aeg Natu maximus iam dudum maritus est, breui pater futurus. Minimum ablegaui Lutetiam. Nam hic nihil aliud quàm ludebat. L. Quid eó? Aeg. Vt magister nobis redeat stultior quàm exierat. L. Bona uerba. Aeg. Medus iam cœpit initiari sacris. L. Precor ut bene uertat omnibus.

ALIA. PERSONAE

Mopsus. Dromo.

M. Quid fit? Quid agitur Dromo? D. Sedetur. M. Video. Sed quomodo ſe res habẽt tuæ? D. Vt ſolent ijs, quibus ſuperi ſunt parũ propicij. M. Iſtuc ominis auertat deus. Quid agis? D. Equidem oĉum ago. Id quod vides, numirum nihil. M. Præſtat oĉoſum eſſe q̃ nihil agere. Ego te fortaſſis occupatum ſerijs negocijs, interpello. D. Imò maxime uacuũ. Iam enim me æperat ocij tædium, & congerronem deſiderabam. M Fortaßis impedio, interrumpo, interturbo tua negoĉia. D. Imò tædiũ ocij diſcitis. M. Da uenam ſi te parũ in tpe interpellarim. D. Imò ipſo in tempore aduenis. Oportune te huc attuliſti. Optatus ades. Interuentus tuus eſt mihi uehementer gratus. M. Fortaßis aliquid ſeriæ rei inter uos agitur, cui nolim eſſe impedimento. D. Imò lupus, quod aiunt, ades in fabula. Nam de te ſermo erat. M. Facile crediderim, nam mihi huc uenienti mire tinnuebat auris. D. Vtra? M. Læua. Vnde conijcio nihil magnificæ de me fuiſſe prædicatum. D. Imò nihil nõ honorificum. M. Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid eſt bonæ rei? D. Aiunt te uenatorem eſſe factum. M. Imò iam intra caſſes meos eſt præda quam uenabar. D. Quænam? M. Lepida puella, quam perhendie ducturus ſum, uoſq; oro, ut meas nu-

quias uestra præsentia dignemini honestare. D. Quænam est sponsa? M. Aloisia Chremetis filia. D. Egregium spectatorē formarum. Tuis oculis adlubuit illa, nigro capillitio, simis naribus, ore prælargo, uentre prominulo. M. Desinite. Mihi eā duxi, nō uobis. Nō sat est, q. suo regi pulchra est regina? Ita demū illa mihi placebit, si uobis non admodū placeat.

ALIA. SYRVS. GETA.

Sy. Opto tibi multam felicitatem. G. Et ego tibi conduplicatum opto, quicquid optas mihi.

Sy. Quid agis rei? G. Confabulor. S. Quid? confabulare solus? G. Vt uides. S. Fortasse tecū. Proinde tibi uidendum, ut cum homine probo fabuleris. G. Imò cum lepidissimo congerrone confabulor. S. Quo? G. Apuleio. S. Istud quidē nunquàm non facis. Sed amant alterna Camœnæ. Tu perpetuo studes. G. Non est ulla studiorum satietas. S. Verum, sed est tamen modus quidam. Non omittenda quidem sunt studia, sed tamen intermittenda nonnunquàm. Non abijcienda sunt, sed relaxanda. Nihil suaue quod perpetuum. Voluptates commendat rarior usus. Tu nihil aliud quàm studes. Perpetuo studes. Continenter incumbis literis. Indesinenter inhæres chartis. Studes noctes ac dies. Nunquàm non studes. Assiduus es in studio. Iugiter intentus es libris. Nullum facis studendi fe-

nem, neq; modum. Nullam ſtudijs tuis requiem intermiſæs. Nunq̃ ſtudendi laborem nec intermittis nec remittis. G. Age tuo more facis. Rides me ut ſoles. Nunc ludis tu quidem me. Salſe me rides. Satyricũ agis. Naſo me ſuſpendis adunco. Non me fallit tuũ ſcomma. Nunc plane toco mecum agis. Sum tibi riſui. Rideor abs te. Pro delectamẽto me habes. Nũc me ludos deliciasq; facis. Eadem opera aßue mihi auriculas aſini. Ipſi codicæs puluere, ſituq; obducti loquuntur, q̃ ſim ĩmodicus in ſtudio. S. Emoriar, nu loquor ex animo. Diſpeream, ſi quid fingo. Loquor id quod ſentio. Quod res eſt dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Non ſecus ſentio, q̃ loquor.

CVR NON VISIS.

G. Quid cauſæ eſt, quod tam diu nos non inuiſeris? Quid rei eſt, quod nos tam raro uiſis? Quid accidit, quod tanto tempore nos non adieris? Quare tam rarus es ſalutator? Quid ſibi uult, quod nos iam diu nõ conueneris? Quid obſtitit, quo minus uiſas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus fœceris nobis tui uidendi copiam?

NON LICVIT PER occupationes.

S. Non licuit per odium. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negocia. Hactenus non ſinebant negocia, ut te uiſerem. Non patiebantur undæ ne-

godorum quibus inuoluebar, ut te ſalutarem. Occupatior fui, q̃ ut potuerim. Tam uarijs diſtringebar curis, ut mihi non fuerit liberum adire te. Vix ipſi mihi fuit copia mei, ſic me totum moleſta quædam negocia poſſidebant. Negocijs meis imputabis non mihi. Non defuit uoluntas, ſed uetuit neceſſitas. Hactenus non uacauit. Hactenus non contigit otium. Hactenus nõ fuit uacuum. Non licuit per ualetudinem. Non licuit per tempeſtatem. G. Equidem accipio tuam excuſationem, ſed hac lege ne ſæpius utaris. Excuſatio tua uerior eſt q̃ uellem, ſiquidẽ ualetudo fuit in cauſa. Hac lege mihi purgatus eris, ſi quod factum eſt, officio ſarcias. Si ſuperiorem æſſationem crebra uiſitatione penſes. S. Tu nihil moraris iſtiuſmodi officia, nimiũ uulgaria. Amicitia noſtra firmior eſt, q̃ ut ſit officijs iſtis uulgaribus alenda. Satis crebro uiſit, qui conſtanter amat. G. Male ſit iſtis curis, quæ te nobis adimunt. Quid imprecer iſtis negocijs, quæ talem amicum nobis inuident? Peſſime ſit iſti febri, quæ nos tam graui deſiderio torſit tui. Male pereat iſta febris tu incolumi.

MANDANDI AC POLLIcendi. Iacobus. Sapidus.

Iac. Quæſo ut hæc res tibi cordi ſit. Etiam atq; etiam rogo ut hoc negocium tibi ſit curæ. Hac in re uelim, ut totum Sapidum exeras. Si me amas, cauſam

hanc tractabis diligenter. Hac in re quæso ut aduigiles. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Si uereis es, quem semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam hac in causa, quanti me faciás. Sap. Desine, ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Euentum præstare non possum. Illud polliceor mihi nec fidem, nec studium defuturum. Curabo diligentius, q̃ si mea res ageretur. Quanquàm meam esse duco, quæ sit amiá. Fac ut in me quiduis desideres ámius q̃ fidem ac diligentiam. Tu fac in utranque dormias aurem. Ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me reápio prouindam oẽm. Gaudeo mihi datam oácasionem, qua declarem animum in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re præstabo, quicquid est amiá synæri, & ex animo bene uolentis. Nolim te latere uana spe. Illud effiáam, ut dicas hoc negocij mandatum amico.

SVCCESSVS.

Sap. Res succesit opinione melius. Fortuna uotis utriusq; fauit. Si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse secundior. Res tua & uentis & amne secundo proœsit. Viát etiam uota nostra fortunæ fauentis aflatus. Opinor, te litasse Rhamnusiæ, cui sic ex sententia cadunt omnia. Plus impetraui q̃ fuissem ausus optare. Ventis per omnia secundis hic ursus nobis

peractus est. Res omnis cadit ex sententia. Pulchre nobis cadit hæc alea. Opinor uolasse noctuam, adeo feliciter exijt, nobis parum sapienter institutum.

GRATIA

Iac. Equidem gratiam & habeo, & habiturus sum quo ad uiuam maximam. Pro isto tuo in me officio pares agere gratias uix possim, referre nequaquàm. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror, neque enim tu quicquàm noui feisti, & hoc magis debeo. De isto tuo in me officio, amo te mi Sapide, ut par est maxime. Quod hac in causa præstiteris amicum minime aulicum, & habetur à me gratia, & semper habebitur. Quod meum negocium tibi cordi fuerit, amo te & habeo gratiam. Isto officio gratiam inisti apud me maximam. Per gratum est, quod causam meam egeris bona fide. Ex omnibus officijs, quæ tu plurima in me contuliſti, hoc est longe gratissimum. Referre gratiam parem nequaquàm possum: agere accuratius, inter nos superuacaneum sit: quod unum possum habebo dum uixero. Isto beneficio fateor tibi me magnopere deuinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quàm ut unquam soluendo esse queam. Hoc beneficio arctius me tibi deuinxisti, quàm ut possim dissoluere. Obligatiorem me tibi reddidisti, quàm ut nomen meum è tuo diario possim unquam expungere. Hoc officio me sic tuum reddidi-

sti, ut nullum mancipium æquæ sit in rebus heri sui. Hac re me tibi deuinctiorem reddidisti, quàm ut unquam æs alienum possim resoluere. Plurimis nomi nibus tibi debeo, sed non alio plus quàm hoc. Pro me diocribus beneficijs agendæ sunt gratiæ, hoc maius est quàm ut conueniat uerbis gratias agere.

RESPONSIO.

Sap. Auser mihi ista. Maior est nostra necessitudo, quàm ut uel tu mihi, uel ego tibi pro ullo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retuli. Mihi quidem abunde relatam gratiam arbitror, si gratum est quod fecì sedulo. Non est aur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficijs non uulgaribus, hoc officioli rependi. Equidem nihil laudis mereor, ingratissimus habendus, si defuissem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea cura præstari potest, hoc tam tuum esse duito, quàm id quod est maxime tuum. Videor mihi beneficium accepisse, quod nostrum officium boni consulis. Pro tantillo officio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multa maiora tibi debeam. Sibi benefacit, qui benefacit amico. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, sed fœnerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac utare sæpius. Ita credam tibi gratum esse, quod fecì, si quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes quod uoles.

ALIA IN CONGRESSV.

Arnoldus. Cornelius.

A. Salue multum Corneli iam toto ſeculo deſiderate. C. Salue & tu ſodalis exoptatiſsime. A. Iam deſperabamus reditum tuum. Vbi tamdiu peregrinatus es? C. Apud inferos. A. Non admodum ueri diſsimile dicis. Adeo nobis rediſti ſqualidus, macilentus ac pallidus. C. Imò ab Hieroſolymis adſum tibi, nõ à profundis manibus. A. Quis deus aut quis uentus te illuc adegit? C. Quæ res adigit alios innumeros? A. Stultitia, ni fallor. C. Igitur hoc conuicij nõ in me ſolũ competet. A. Quid illic uenabare? C. Vt miſer eſsem. A. Iſtuc lucebat domi. Eſt ne illic, quod tu putes ſpectatu dignum? C. Vt ingenue fatear tibi, nihil. Oſtendũtur quædam monumenta uetuſtatis, quorum mihi nihil non uidebatur commenticium, & excogitatum ad allidẽdos ſimplices & credulos. Imò nec hoc arbitror illos ſcire, quo loco ſita fuerit olim Hieroſolyma. A. Quid igitur uidiſti? C. Magnam ubiq; barbariẽ. A. Nihilo ſanctior redis? C. Imò multis partibus deterior. A. Nummatior ergo. C. Imò nudior leberide. A. An nõ pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis fruſtra ſuſceptæ? C. Nec pudet, qa tam multos habeo ſtultitiæ meæ ſodales, nec pœnitet, qa fruſtra iam ſit pœnitere. A. Nihil ergo fructus refers è tam difficili peregrinatione?

C. Multum

C. Multum. A. Quid tandem? C. Quia posthac uiuam suauius. A. An quia iucundum est meminisse laborum actorum? C. Est isthuc quidem nonnihil, sed non in hoc sunt omnia. A. Est ne aliud præmium? C. Est sanè. A. Quod? effare. C. Magna uoluptate quoties libebit, & ipse me affidam, & alios mentiendo, quoties itinerariũ meũ recitabo ĩ cõcubulis aut ĩ cõuiuijs. A. Profecto, nõ tu, pal aberras à scopo. C. Deinde non minus capiã uoluptatis, quũ alios audiam mentientes de rebus, quas nec audierunt unq̃, nec uiderunt. Idq; faciunt tanta confidentia, ut cũ narrent stabulis gerris uaniora, tamen sibi etiam persuadeant se uera loqui. A. Mira uoluptas. Non omnino tibi perijt oleum & opera, quod aiunt. C. Imò hoc arbitror aliquanto consultius, q̃ qui paulo pecuniæ conducti profiscuntur in militiam, oĩum scelerum scholam. A. Sed illiberalis est uoluptas, ex mendacijs uoluptatem capere. C. Verum hoc aliquanto liberalius q̃ obtrectatione, uel delectare, uel delectari, aut alea tempus & rem perdere. A. Cogor equidem pedibus in tuam ire sententiam. C. Verum est & alius fructus. A. Quis? C. Si quis erit amicus egregie charus, affinis huic insanæ, eum admonebo ut domi maneat. Vt nautæ solent ejecto naufragio, monere nauigaturos quid periculi sit uitandum. A. Vtinam mihi monitor adfuisses in tẽpore. C. Quid? num similis mor

bus te quoq; corripuit? Num afflauit & te huius ma li contagium? A. Visi Romam & Compostellam. C. Deum immortalem, quanto mihi solatio est, te con tigisse stultitiæ meæ socium. Quæ Pallas isthuc tibi misit in mentem? A. Non Pallas, sed ipsa Moria: præsertim cum domi haberē uxorem, integra adhuc ætate, liberos aliquot, & familiam quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alitur. C. Oportuit fuisse seriæ rei quippiam, quod te à charissimis tuis di straxerit. Narra obsecro. A. Pudet dicere. C. Non apud me, qui, ut scis, eodem tenear malo. A. Compotabamus aliquot uicini. Vbi uino inca luerat animus, erat qui prædicabat sibi esse in animo, salutare diuum Iacobum: erat alter qui diuum Pe trum. Ilico non defuit unus aut alter, qui sponderent se comites fore. Tandem uisum est ut omnes irent si mul. Ego, ne uiderer parum commodus compotor, polluitus sum & ipse. Mox agitari cœptum, utrò potius iremus Romam an Compostellam. Factum est senatusconsultum, ut bonis auspicijs utroq; postridie profiscæremur omnes. C. O graue decretum, di gnius quod uino inscriberetur quàm æri. A. Ac mox ingēs obambulat patera, quam ubi suo quisq; or dine ebibisset, uotum factum est inuiolabile. C. No ua religio, sed num omnibus contigit reditus incolu mis? A. Omnibus præter quàm tribus, quorū unus

in profectione mariens mandauit nobis, ut suis uerbis salutem diceremus, Petro & Iacobo. Alter perijt Romæ, iussitq; ut suo nomine salutaremus uxorem ac liberos. Tertium reliquimus Florentiæ, ualetudinis planè deploratæ. Opinor iam esse apud superos.

C. Adeò ne pius erat? A. Imò nugator maximus.

C. Vnde igitur isthuc suspicare? A. Quia peram habebat indulgentijs largissimis distentam. C. Audio, sed iter est longum in cœlum, nec satis, ut audio, tutum, ob latrunculos qui obsident regionem aëris mediam. A. Verum, sed ille sat erat munitus diplomatibus. C. Qua lingua descriptis? A. Romana. C. In tuto est igitur. A. Est, nisi fortè incidat in genium aliquẽ, qui Latine nesciat. Tum esset illi redeundum Romã, & nouũ diploma impetrandũ. C. Bullæ uenduntur illic & mortuis? A. Maxime. C. Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantius. A. Ego uero nihil eleuo indulgentias, sed cõbibonis mei stultitiã rideo, qui cũ esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ proram ut aiunt, ac puppim in membrana collocarit, potius q̃ in correctis affectibus. Sed quãdo fruemur illa uoluptate quã modo prædicabas? C. Quum erit commodum. Adornabimus compotunculam aliquam, uocabimus nostri ordinis homines. Ibi ærtabimus mentiendo, nosq; affatim mutuis mendacijs oblectabimus. A. Age fiat.

ALIA. PAMPHAGVS. COCLES

P. Aut parum prospiãunt oculi, aut Coclitem uetterè compotorem meũ uideo. C. Imò nihil te fallunt oculi tui, uides sodalem ex animo tuum. P. Nulla aliq̃ erat spes reditus tui, qui tot annos abfueris, ignotus omnibus, q̃ te terrarũ haberet regio. Sed unde dic quaso? C. Ab antipodibus. P. Imò ab insulis, opinor, fortunatis. C. Gaudeo quod agnoueris sodalem tuum. nam uerebar, ne sic domum redirem, quemadmodum redijt Vlysses. P. Quo nã pacto redijt ille? C. Nec ab uxore est agnitus. Solus canis iam uetulus mota cauda dominum agnouit. P. Quot annos ille domo abfuerat? C. Viginti. P. Tu plures abfuisti, nec tamen fefellit me tua facies. Sed quis isthuc narrat de Vlysse? C. Homerus. P. Oh. Ille, ut aiunt, pater est omnium fabularum. Fortasis uxor interim asciuerat taurum alium, & idarco non agnouit Vlyssem suum. C. Imò nihil illa castius. sed Pallas addiderat illi senium ne posset agnosci. P. Qui tandem agnitus est? C. E tuberculo quod habebat in digito pedis. Id animaduertit nutrix iam admodum anus, dum illi pedes lauat. P. O curiosam lamiam. Et tu miraris si te agnoui, ex isto tam insigni naso? C. Nihil me pœnitet huius nasi. P. Nec est cur pœnitcat, cum organum tibi sit, ad res tam multas utile. C. Ad quas?

P. Primum ad extinguendas luœrnas, erit cornu ille

æ. C. Perge. P. Deinde si quid hauriendum erit è cauo profundiore, fuerit loco promuscidis. C. Papæ. P. Si manus erũt occupatæ, habebit uti uiæ paxilli. C. Etiám ne ampliùs? P. Conducet exãtando foæ lo, si defuerit follis. C. Belle narras. Quid præterea? P. Si lumen officiat scribenti, præbebit umbraculum. C. Haha he. Est præterea quod dicas? P. In bello nauali præbebit usum harpagonis. C. Quid in bello terrestri? P. Erit loco clypei. C. Quid deinde? P. Findendis lignis erit aeneus. C. Probe. P. Si præconem agas, erit tuba. Si classicum canas, cornu: si fodias, ligo: si metas, falx: si nauiges, ancora. In popina fuerit fuscina, in piscando hamus. C. O me feliæm, nescebam me aeque ferre tam ad multa conducibilem supellectilem. Sed quis interim terrarum angulus te habuit? P. Roma. C. Atqui fieri potuit, ut in tanta luæ nemo te scæret uiuum? P. Imò nusquam magis latent boni uiri. Adeo ut sæpe clarissima luæ neminem uideas in frequenti foro. C. Redis igitur nobis onustus sacerdotijs. P. Venatus equidem sum sedulo, at parum fauit Delia. Nam complures illic piscantur hamo, quod dicã solet, aureo. C. Stultum piscandi genus. P. Et tamen pulchre succedit nonnullis. Sed non oĩbus feliciter cadit hæc alea. C. An non insigniter stulti sunt, qui plumbum commutant auro? P. Sed tu non intelligis in plumbo sacro, ue-

nas auri subesse. C. Quid igitur rediisti nobis, nihil aliud q̃ Pamphagus? P. Non. C. Quid igitur? P. Lupus hians. C. Felicius redeunt, qui asinu rede unt sacerdotiorum sarcina graues. Cur mauis sacerdo tium q̃ uxorem? P. Quia mihi placet odium. Arri- det Epicurea uita. C. At mea sententia suauius uiuũt, q̃bus est lepida puella domi, quam complectantur quo ties libet. P. Sed adde nonnunq̃ quum non libet. Amo uoluptatem perpetuam. Qui ducit uxorẽ, uno mense felix est: qui contingit opimum sacerdotium, in oẽm usq; uitam fruitur gaudio. C. Sed tristis est so litudo. Adeo ut nec Adam suauiter uicturus fuerit in paradiso, nisi deus illi adiunxisset Euam. P. Non de- erit Eua cui sit opulentum sacerdotium. C. Sed uo- luptas non est uoluptas, quæ cum mala fama, malaq; conscientia coniuncta est. P. Verum dicis, & idcirco mihi in animo est, confabulatione librorum solitudinis tædium fallere. C. Istis quidem sodalibus nihil u- cundius. P. Sed redis ne ad tuã piscationem? C. Re deo si liceat parare nouã escam. P. Aureám ne aut argenteam? C. Vtram libet. P. Bono animo es, pater suppeditabit. C. Nihil illo tenacius. Nec cre- diturus est denuo, cum intellexerit mihi sortem etiam periisse. P. Verum ista lex est aleæ. C. Sed ille nõ delectatur hac alea. P. Si pernegabit ille, cõmonstra bo tibi unde possis quantum uoles pecuniæ sumere.

C. .Tu uero mihi uoluptatem narras. Age monstra iam cor mihi salit. P. In promptu est. C. Nactus es thesaurum aliquem? P. Si nactus essem, mihi nactus essem, non tibi. C. Si queam corradere centum ducatos reuixerit spes. P. At ego tibi cõmonstro, unde possis haurire centum milia. C. Quin tu igitur me beas. Ne diutius eneca. Dic unde. P. Ex asse Budæi. Illic reperias innumeras myriades, siue auream malis monetam, siue argenteam. C. Abi quò dignus es cũ tuo ioco. Illinc tibi resoluam quod debuero peaniæ. P. Resolues, sed quod illinc tibi numeraro. C. Age noui nasum tuum. P. At mihi præter nasus est nullus C. Imò nihil te nasutius. Nihil es nisi nasus. P. Ludis in re seria. Hac in re ringi possim ditius q̃ ridere. Res grauior est quàm ut ridere libeat. Tu si hic esses, non luderes. C. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis me. Ioco me tractas in re neutiquam iocosa. P. Minume rideo, id quod res est dico. Non rideo quidem, imò rem ipsam dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor. C. Ita tibi semper sit in capite pileũ, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed æsso abire domũ, cogniturus quo in statu sint illic omnia? P. Offendes noua permulta. C. Credo, sed utinam omnia ex animi sententia. P. Isthuc optare licet omnibus, sed hactenus obtigit nemini. C. Hoc quoq; commodita-

tis adferet utriq; noſtrum ſua peregrinatio, quod dul-cior erit poſthac domus P. Neſcio, nam uideo quoſdam ſeptues illò recurrere. Adeo ſcabies illa ſine fine ſolet prurire, ſi quem ſemel inuaſerit.

ALIA MILITARIA.

Hanno. Thraſymachus.

H. Vnde nobis redis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras? T. Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras? H. Quia alatus uidebare quum abires, nunc claudicas. T. Sic à bello redire ſolet. H. Quid tibi cum bello, homo quauis dama fugacior? T. Spes prædæ reddiderat fortem. H. Multum igitur refers manubiarum. T. Imò zonam in anem. H. Tanto minus grauare ſarcina. T. Atqui ſceleribus onuſtus redeo. H. Grauis profectò ſarcina, ſi uerũ dicit propheta, qui peccatum appellat plumbum. T. Plus illic ſcelerum & uidi & patrani, q̃ unq̃ antehac in omni uita. H. Ecquid igitur arridet uita militaris? T. Nihil neq; ſceleſtius, neq; calamitoſius. H. Quid igitur in mentem uenit iſtis, qui nummo conducti nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter q̃ ad conuiuium? T. Ego nihil aliud coniectare poſſum, q̃ illos agi malis furijs, ſeſeq; totos malo dæmoni, ac miſeriæ deuouiſſe: nec aliud q̃ hic manes ſuos antiapare. H. Ita quidem uidetur. Nam ad res honeſtas uix ullo pretio conduci queant. Sed expone no-

bis quomodo gestum sit prælium, & utrò sese inclinarit victoria. T. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuum tonitrua, hinnitus equorum, clamor utrorum, ut neq; uidere potuerim quid gereretur, adeo ut uix sarem ubi essem ipse. H. Vnde igitur cæteri qui ex bello uenuunt, sic depingunt singula, quid quisq; dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent oculati spectatores? T. Ego credo istos mentiri splendide. In tentorio meo quid gestum sit scio: quid in prælio, prorsus ignoro. H. An ne hoc quidem scis, unde tibi uenerit claudicatio? T. Vix. Ita me Mauors posthac male amet. Suspicor aut saxo, aut equi calce læsum genu. H. At ego scio. T. Scis, an tibi narrauit aliquis? H. Non sed diuino. T. Dic igitur. H. Quũ fugeres pauidus, collapsus humi, offendisti in siliceam. T. Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeo uerisimile est qd' diuinasti. H. Abi domum & uxori narra tuas uictorias. T. Illa mihi occinet haud suaue Encomium, qui nudus redeam. H. Sed unde restitues, quod rapuisti? T. Iampridem restitui. H. Cui? T. Scortis, cœnopolis, & ijs q me uicerunt alea. H. Satis militariter, par est, ut quod male partum est peius dispereat. Verũ à sacrilegijs, opinor, temperatum est. T. Imò nobis illic erat sacrum nihil. Nec prophanis parátum est, nec phanis. H. Quo pacto saraes? T. Negant

oportere sarari, q̃d in bello commissum sit: iure fit q̃d illic fit. H. Iure belli fortasis. T. Tenes. H. At istud iuæ summa est iniuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum. T. Fatror, & arbitror pauos illuc tre sanctiore proposito. H. Est aliquid insanire cum multis. T. Condonator è sug gestu pronunciauit bellum esse iustum. H. Suggestus ille non solet mentiri. Sed ut iustum sit primapi, non continuo iustum est tibi. T. Audiui ex Rabinis, quod licet sua cuiq; arte uiuere. H. Præclara ars, incendere domos diripere templa, uiolare sacras uirgines, spoliare miseros, occidere innoxios. T. Laniij conducuntur ad mactandum bouem, quur nostra ars reprehenditur, quod conducimur ad mactandos homines? H. Non eras solliatus, quónam esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere? T. Non admodum. Bona spes habebat animum meum. Nam diuæ Barbaræ me semel commendaram. H. Re operat illa tutelam tui? T. Sic mihi usa est annuere capite aliquantulum. H. Quando istuc tibi iusum est, mane? T. Non, sed à cœna. H. Sed tum, ut arbitror, etiam arbores tibi uisæ sunt ambulare. T. Vt hic diuinat omnia. Sed præcipua spes erat in diuo Christophoro, cuius imaginem quotidie cõtemplabar. H. In tentorijs? Vnde illic diui? T. Carbone pinxeramus illum in tentorijs. H. Nimirum

haud quaquam fidelium, ut aiunt, præsidium erat, carbonarius ille Christophorus. Sed extra iocum, non uideo qui possis expiari à tantis flagitijs, nisi te conferas Romam. T. Imò noui uiam breuiorem.

H. Quam? T. Ibo ad Dominicales, illic paululo transigam cum commissarijs. H. Etiam de sacrilegijs? T. Etiam si Christum ipsum spoliassem, ac decollassem etiam, tam largas habent indulgentias, & auctoritatem componendi. H. Bene habet, si uestram compositionem deus ratam habuerit. T. Imò magis metuo, ne diabolus non habeat ratam. Nam deus natura placabilis est. H. Quem tibi sacerdotem deliges? T. Cui cognouero quàm minimum esse frontis ac bonæ mentis. H. Ne non habeant similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus dominicum? T. Quid ni? Posteaquam semel effudero sentinam in illius cucullam, ego me exoneraui sarana. Ipse uiderit, qui absoluit. H. Quis scis, an absoluat? T. Scio. H. Quonam indicio?

T. Quia manum imponit capiti admurmurans, nescio quid. H. Quid si reddat tibi omnia peccata tua cum manum imponit, hæc admurmurans: Absoluo te ab omnibus benefactis, quæ nulla in te comperio, & restituo te tuis moribus, talemq; dimitto, qualem accepi? T. Viderit ille quid dicat, mihi satis est, quod me credo absolutum. H. Sed isthuc tuo

periculo credis. Fortasse non fuerit satis deo, cui debes. T. Vnde tu mihi obuius, qui mihi consentiam è serena nubilam redderes? H. Felix occursus. Bona auis est obuius amicus qui bene moneat. T. Nescio quàm bona, certe parum suauis.

HERILIA. RABINIVS. SYRVS.

R. Heus heus furáfer, iamdudum rauisco clamore, nec tu tamen expergiscéris. Videre mihi uel cum gliribus certare posse. Aut ocyus surge, aut ego tibi iste somnum istum excutiam. Quando crapulam hesternam edormieris? Non te pudet somnum hoïs, in multam lucem stertere? Qui frugi sunt famuli, solent exortum solis anteuertere, curareq; ut herus surgens reperiat omnia parata. Vt ægre diuellitur à nido tepefacto oculus. Dum scalpit caput, dum distendit neruos, dum oscitat, tota abit hora. S. Vix dum dilu xit. R. Credo, tibi. Nam tuis oculis adhuc multa nox est. Tibi nox adhuc est conubia. S. Quid me iubes facere? R. Fac ut lucat foculus, uerre pileum ac pallium, exterge calceos & crepidas. Inuersas caligas, primũ intus purga scopis, mox foris. Deinde suffitum aliquem fiato, purgando aëri. Accende lucernam. Muta mihi lineum induisium, ac sicca lotum. S. Fiet. R. Atqui mouere ocyus, iam hæc fecisse oportuit. S. Moueo. R. Video, sed nihil promoues. Vt ima

dit testudo? S. Non possum simul sorbere & flare. R. Etiam sententias loqueris carnifex? Tolle matulam. Compone lecti stragulas, reuolue cortinas. Verre pauimentum. Verre solum cubiculi. Adfer aquã lauandis manibus. Quid æssas asine? Annus est prius q̃ accendas candelam. S. Vix reperio scintillam ignis. R. Sic heri condidisti. S. Nec follem habeo. R. Vt respondeat nebulo, quasi qui te habeat, careat folle. S. Quàm imperiosum habeo dominum, uix huius iußis decem expediti famuli fecerint satis. R. Quid ais æssator? S. Nihil, omnia recte. R. Non ego te audio obmurmurantem? S. Equidẽ precor. R. Credo, pater noster inuersum. Precationem, opinor, Dominicam præposterè. Quid gannis de imperio? S. Precor tibi ut fias imperator. R. Et ego tibi, ut fias homo ex caudicæ. Sequere me ad templum usq;. Mox domum recurrito, lectos concinnato. Hæc cõfusa, suo quæq; loco digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulã defricato. Hæc sordida submouento ab oculis, fortassis inuisent me quidam aulicã. Si quid sensero prætermissum, uapulabis largiter. S. Hic sanè nouã benignitatem tuam. R. Proinde caue si sapis. S. At interim de prandio nulla mentio. R. Vah, ut hic mentẽ habet furãfer. Non prãdeo domi. Itaq; sub horam decimam ad me transcurrito, deducturus me eò, ubi sum pransurus. S. Tibi quidem prospectũ, sed

hic interim nihil est quod edam. R. Si nõ est quod edas, est quod esurias. S. Nemo fit esuriendo satur. R. Est panis. S. Est, sed ater & furfuraceus. R. Deliciãs hominis. Te quidẽ fœnum esse oportuit, si pabulum detur te dignum. An postulas ut te asinum tantum placentis saginem? Si fastidis panem atrum obsonium, adde porrum, aut si mauis cepe.

ALIA.

R. Est tibi abeundum in forum. S. Tam proculi? R. Non sunt nisi sex passus. Tibi pigro sunt bis mille. Consulam aũt tuæ pigritiæ. Eadẽ legatione multa cõfides negotia. Tu supputa in digitos, ut memineris. Primum deflectes ad uestiarium, ac thoracem ut dulatum, si iam perfectus est, ab eo reapies. Hinc quæres Cornelium ueredarium. Is plerunq; est in cæruo, ibi potitat. Rogabis si quid habet literarum ad me, & ad quem diem sit profecturus. Deinde conuenies mercatorem pannarium, rogabis meis uerbis, ne quid sollicitus sit, quod pecuniam non miserim ad diem prescriptum. Numerabitur propediem. S. Quando, ad Calendas græcas? R. Rides ganeo. Imò ante Calendas Martias. In reditu deflectes ad læuam, & ex bibliopolis disces, si quid aduectum sit nouorum libellorum è Germania. Cognosce, qui sint, & quanti uenales. Post hæc rogabis Coclenum, ut mihi dignetur esse conuiua, alioqui cœnaturo soli. S. Etiam

conuiuas uocas? non habes domi, unde uel murem pascas. R. Proinde tu confectis cæteris abi ad macellum, & eme nobis armum ouillum. Eum curabis eleganter assum. Audin' hæc? S. Plura q̃ uellem. R. At uide, ut memineris. S. Vix potero diminuum R. Etiam hic stas œssator? Iam rediisse oportuit. S. Quis possit unus tot rebus obeundis sufficere? Deduco ac reduco. Sum illi à scopis, à matula, à pedibus, ac manibus, à poculis, à libellis, à rationibus, à iurgijs, à legationibus. Postremo non uideor illi sat occupatus, nisi sim & coquus.

ALIA.

R. Profer ocreas, nam equitandum est. S. En adsunt. R. Probe quidem abs te curatæ, totæ albent situ. Opinor nec extersas, nec unctas hoc anno, adeo rigent præ siccitate. Extergę, subuudo panno. Mox unge ad ignem diligenter, ac maœra donec mollescant. S. Curabitur. R. Vbi calcaria? S. Adsunt. R. Verum, sed obducta rubigine. Vbi frenum & ephippia? S. Sunt in promptu. R. Vide ne quid desit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid nobis sit in mora, cum erimus in cursu. Propera ad sellarium, & hoc lorum cura saraiendum. Reuersus inspice soleas, siue cælæos equorum, num quæ clam desint, aut uacillent. Quàm mollenti sunt equi, quamq; strigosi. Quoties absterges, aut pectis illos

in anno. S. *Imò quotidie.* R. *Numirum res ipſa loquitur. Ieiunant, opinor, nonnunq̃ totum triduum.* S. *Minime.* R. *Negas tu quidem, ſed aliud dicturi ſint equi, ſi loqui liceat. Quanq̃ ſatis loquuntur ipſa macie.* S. *Curo ſedulo.* R. *Quur igitur tu habitior equis?* S. *Quia non paſcor fœno.* R. *Hoc igitur reſtat. Adorna mantiam œleriter.* S. *Fiet.*

MONITORIA. PAEDAGOGUS. PUER.

Pæd. Tu mihi uidere non in aula natus, ſed in caula, adeo moribus es agreſtibus. Puerum ingenuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quiſpiam aut debes honorem, compone te in rectum corporis ſtatum. Aperi caput. Vultus ſit nec triſtis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec inſtabilis, ſed hilari modeſtia temperatus: oculi uerecundi, ſemper intenti in eum cui loqueris: iuncti pedes, quietæ manus. Nec uaalles alternis tibijs, nec ſint geſticuloſæ manus, nec mordeto labrum, nec ſcabito caput, nec fodito aures. Veſtis item ad decorum componatur. Vt totus cultus, uultus, geſtus et habitus corporis ingenuam modeſtiam, & uerecundã indolẽ præ ſe ferat. Pu. *Quid ſi mediter?* Pæ. *Fac.* Pu. *Sicine ſatis?* Pæ. *Nondum.* Pu. *Quid ſi ſic?* P. *Propemodum.* Pu. *Quid ſi ſic?* P. *Hem ſatis eſt. Iſtuc tene. Ne ſis inepte loquax, aut præceps.*

Nec uagetur

Nec uagetur animus interim, sed sis attentus, quid ille dicat. Si quid erit respõdendum, id facito paucis, ac puden ter, subinde præfatus honorem, nonnunq; & addito cognomento honoris gratia. Atq; identidem modicæ flectas alterum genu, præsertim ubi responsum absoluueris. Nec abeas, nisi præfatus ueniam, aut ab ipso dimissus. Nũc age specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti à maternis ædibus?

Pu. Iam sex fermè menses. Præd. Addendum erat, domine. P. Iam sex fermè menses domine. Pæ. Nõ tangeris desiderio matris? Pu. Nonnunq; sanè. Pæ. Cupis eam reuisere? P. Cupio domine, si id pæluceat tua. Pæ. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cum loqueris caue ne præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures, sed distincte, clare, articulate cõsuesito profer reuerba tua. Si quem præteribis natu grandem, magistratum, sacerdotem, doctorem, aut alioqui uirum grauem, memento aperire caput: nec pigeat inflectere genu. Itidem facito, quum præteribis ædem sacrã, aut imaginem crucis. In conuiuio sic te præbebis hilarem, ut semper memineris quid deceat ætatem tuã. Fostremus omnium admoueto manum patinæ. Si quid datur lautius, recusato modeste, si instabitur, accipe, & age gratias, mox decerpta portiuncula, quod reliquum est illi reddito, aut alicui proxime accumbẽti. Si quis præ

bibet, hilariter illi bene precare. Sed ipse bibito modicè Si non sitis, tamen admoueto cyathum labijs. Arride loquentibus, ipse ne quid loquaris nisi rogatus. Si qd obscœnu dicatur, ne arride sed compone uultum quasi nõ intelligas. Ne cui obtrectato, ne cui temet antepo nito. Ne tua iactato, ne aliena despicito. Esto comis etiã erga tenuis fortunæ sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua futili. Ita fiet ut sine inuidia laudem inuenias et amicos pares. Si uideris conuiuiũ esse prolixius, pre catus ueniam, ac salutatis conuiuis subduato te à mensa. Vide ut horum memineris. Pu. Dabitur opera mi præceptor. Nunquid aliud uis? Pæ. Adito nunc libros tuos. Pu. Fiet.

DE LVSV. NICOLAVS. HIERONYMUS, Cocles, Pædagogus.

N. Iamdudum & animus, & cœlum, & dies inuitat ad ludendum. H. Inuitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor non inuitat. N. Subornandus orator quispiam, qui ueniam extorqueat. H. Apte quidem dictum extorqueat. Nam ituus clauam extorseris è manu Herculis, quàm ab hoc ludendi ueniam. At olim illo nemo fuit ludendi auidior. N. Verum, sed iã olim ille oblitus est se fuisse puerũ. Adueberaſiallimus est & liberalis, hic paraſſimus idemq; diffiallimus. H. Attamen protrudendus est alijs, legatus non admodũ uerecundæ frontis, quẽ non illico

protelet ſuis ſæuis dictis. N. Eat qui uolet, ego carè re malo quàm rogare. H. Nemo magis accommodus ad hanc legationem, quàm Cocles. N. Nemo profectò. Nam perfrictæ frontis eſt, ac bene linguax. Deinde ſenſum hominis pulchre callet. H. I, Cocles ab omnibus nobis magnam imiturus gratiam. C. Equidem experiar ſedulo. Verum ſi non ſuaeſſerit, ne conferte culpam in oratorem ueſtrum. H. Bene omnare, ſi te ſatis nouimus impetrabis. Abi orator, redibis exorator. C. Eo. Bene fortunet legationem meam Mercurius. Salue præceptor. P. Quid ſibi uult nugamentum hominis? C. Salue præceptor obſeruande. P. Inſidioſa âuilitas. Satis iam ſalueo. dic quid tibi uelis. C. Totus diſcipulorum tuorum grex orat ludendi ueniam. P. Nihil aliud quàm luditis, etiam abſq; uenia. C. Sat tua prudentia uigorem ingeniorum exâtari moderato luſu, quemadmodum nos docuiſti ex Quintiliano. P. Sanè ut iſtuc tenes quod pro te fiât, laxamento opus eſt ijs, qui uehementer laborant. Vobis qui ſegniter ſtudetis, & acriter luditis, freno magis opus eſt, quàm laxatis habenis. C. Adnitimur pro uiribus. Et ſi quid hactenus æſſatum eſt, poſt diligentia ſarcetur. P. Oh ſartores. Quis erit fideiuſſor iſthuc futurum? C. Ego capitis mei periculo non dubitem eſſe ſponſor. P. Imò alii periculo potius. Sâo quàm

non sit tutum tibi credere. Tamen hic periculum fiat q̃ sis bonæ fidei. Si dederis uerba, posthac ne quic̃ mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. N diuertant ad compotationes aut alia nequiora. M ture se recipiant domum ante solis occubitũ. C. Fiet. Exoraui quanq̃ ægre. H. O lepidum caput. Omnes amamus te plurimum. C. Sed interim cauendũ u quid peccemus, alioqui de meo tergo dependendum s ret, fideiusi uestro omnium nomine. Quod si quid acc dat, nõ est quod me posthac utaminu legato. H. C uebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet? C. De hoc in campo consultabimus.

PILA.

N. Nulla rès melius exercet omnes corporis pa tes, quàm pila palmaria. Sed aptior hyemi q̃ æstati. H. Nullum anni tempus nobis parum accommodum est ad ludendum. N. Minus sudabitur si ludamus retiario. H. Imò retiarium piscatoribus relinquimus. Elegantius est palma uti. N. Age nihil moror, sed quanti certabimus? H. Talitro, sic paretur peculia. N. At ego malo fronti parã q̃ peculiæ. H. Et mi hi frons charior est peculia. Aliquo periculo certan dum est, alioqui friget ludus. N. Sic res habet u dicis. H. Vtra pars prior euicerit tres lusus, ei tu cta pendet, sextam drachmæ partem. Sed hac lege quicquid è uictorijs collectum fuerit, insumatur in co

uium ad quod pariter uocentur omnes. N. Placet lex, & rata esto. Superest igitur ut sortiamur partes. Nam sumus fermè pares omnes, ut non admodum referat quis cui iungatur. H. Tu tamen me longe peritior es. N. Vt sim, sed tu felicior. H. Etiam hic uult fortuna? N. Illa nusquam non regnat. H. Age fiat sortitio. Euge bene cecidit. Contigere quos uolebam. N. Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet. H. Age simus uiri. Amat uictoria caram. Suum quisq; locum gnauiter tueatur. Tu mihi consiste à tergo, excepturus pilam, si me transuolet. Tu isthic obserua, repulsurus, huc ab aduersarijs reuolantem. C. Ne musca quidē hac prætruolauerit impune. H. Age te bonis auibus, mitte pilam in tectum. Qui miserit, nihil præfatus, frustra miserit. N. Hem, accipe igitur. H. Mittito. Si miseris extra lineas, aut infra supráue tectum, uestro dāno fuerit, aut cæte nobis fraudi esse nolim. Tu sanè parum commode mittis. N. Tibi quidem, at nobis commode. H. Vt miseris ita remittam. Par pari referam. Sed præstat ingenue legitimeq; ludere. N. In ludo pulchrum est arte uincere. H. Fateor, atq; etiam in bello. Sed habet utraq; res suas leges. Et sunt artes illiberales. N. Credo plures septem. Signa terminum testula, aut rudere, aut si mauis pileo tuo. H. Tuo malim. N. Rursus exāpe pilam. H. Mitte. Pone notam. N. Habemus

duos terminos satis longinquos. H. Vtunq;, sed tamen uincibiles. N. Planè uincibiles, si nemo repugnet. H. Euge priorem metam prætercurrimus. Vicimus quindecim. Heus præbete uos uiros, uicerimus, & hic si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. N. Non diu futuri. Vicimus triginta, uicimus quadraginta quinq;. H. Sestertia? N. Non. H. Quid igitur? N. Numeros. H. Quò pertinet numeri, si nihil est quod numeres? N. Noster hic ludus est. H. Præpropere tu quidem. Ante uictoriam canis triumphum. Vidi qui uincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est ut Martis ita lusus alea. Habemus triginta. Iã rursum pares sumus. N. Nũc serio res agitur. H. Euge succesit, habemus potiores non diu habituri. Dixin'? Rursum æquali fortuna sumus. N. Diu nutat fortuna, uelut anceps, utris uelit addicere uictoriam. O fors fortuna si nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge audiuit uotum. Penes nos est huius certaminis uictoria. Pone notam cretacea, ne exedat. H. Iam appetit uespera, & sudatũ est satis, præstat à ludendo desistere, ne quid nimis. Suppetunt lucrum. N. Nos cuicimus tres drachmas, uos duas. Restat igitur una ad compotationcula. Sed interim quis soluet precium pilarum? H. Omnes ex æquo pro sua quisq; portione. Nam lucrum exilius est, quàm ut inde possit aliquid deadi.

QVIORVM FORMVLAE.

LVDVS GLOBORVM MISSILIVM

Adolphus. Bernardus.

A. Tu toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age libet experiri, qui uir sies. B. Nihil detrecto, huc si quid libet. Nunc tu plane quod dici solet in planiciem prouocas equum. A. Et tu me senties non esse asinum. B. Placet ne monomachia, ut unus cum uno congrediatur, an mauis aduungi socios periculi? A. Malo μονομαχεῖν: ne qua pars uictoriæ deiudicatur alteri. B. Istuc & ipse malo, ut laus in solidum sit mea. A. Hi spectatores erunt & arbitri. B. Reapio. Sed quod erit uictori præmium, aut victo pœna? A. Quid si victo amputetur auricula? B. Imò testium alter exectur potius. Non est magnificum certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus. Decertemus pro suæ uterq; gentis gloria. Si uicero, tu ter exclamabis: Floreat Gallia. Si victus, quod absit, fuero, totidem uerbis celebrabo tuam Germaniam. A. Age placet conditio. B. Adsit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo, duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ. A. Nosti saxum illud prominens haud procul a porta? B. Noui. A. Ea erit meta, & hæc linea. B. Esto, sed sint inquam pares globi. A. Minus discernas ouum

ab ouo, aut ficum à fico. Sed mea non refert, utrum malis elige. B. Mitte. A. Heus tu mihi non brachium, sed baliſtam habere uideris, ita torques globum. B. Satis momordiſti labrum, ſatis rotaſti brachium. Tandem mitte. O uires Heraleas, ſed tamen uinco. A. Niſi ſæleratus ille lateralus obſtitiſſet, præuerteram te. B. Conſiſte in ſphæræ tuæ ueſtigio. A. Nõ utar dolo malo. Cupio uirtute, non fraude uincere, quando quidem de gloria certamen eſt. Bene uertat. B. Ingens profecto iactus. A. Neri de priuſquam uiceris. Adhuc penè ſumus pares. B. Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is uicerit. A. Vica. Canta. B. Sed definendũ erat, quoto ludo conſtaret victoria. Nam primo nondũ incaluerunt uires. A. Definant arbitri. Arb. Tertio. B. Placet. A. Quid ais? Agnoſcis ne uictorem? B. Tibi fortuna magis aſpirauit utribus & arte non tibi æſſero. Sed quod arbitri pronũciauerint, id ſequar. Arb. Germanus uidet: & hoc glorioſior eſt victoria, quod talem artificem uicerit. A. Nunc canta Galle. B. Sum raucus. A. Hoc Gallis nouum non eſt, ſed tamen coccyſſa. B. Floreat Germania ter. A. Imò ter hoc erat canendum. B. Contrahamus ſitellã, eamus ad compotationalã. Ibi perfiaetur cantio. A. Non recuſo, ſi ita uidetur arbitris. B. Ut cõmodus eſt. Melius canet Gallus colluto gutture.

LVDVS SPHAERAE PER ANVLVM ferreum. Gaspar. Erasmius.

G. Age, nos auspicabimur. Victo succedet Marcolphus. E. Sed quod erit victori præmiũ? G. Victus ex tempore fadet ac recitabit distichon in laudẽ victoris. E. Accipio legem. G. Vis ne sortiamur, uter prior incipiat? E. Esto tu prior, si libet, ego malim esse abbas. G. Hoc tua conditio potior est, quod tibi nota est area. E. Versaris ĩ tua harena. G. In hac exercitatior sum, quam in libris. Tamen istud per quàm exigui momenti est. E. Aequum est, ut tantus artifex in hoc certamine mihi largiare nonnihil. G. Imò istuc abs te peterem iustius, sed parum est honesta precaria victoria. Is demum uincat, qui suo Marte uincit. Ita sumus pares, ut non melius commissus fuerit olim cum Bitho Bachius. E. Tua sphæra commodior est mea. G. Et tua uola uincit meã. E. Ludito legitime absq; technis, ac dolo malo. G. Dicas tibi rem esse cum homine probo. E. Sed prius audire cupio huius sphæristerij plebiscita. G. Quaternio ludum absoluit, qui hanc lineam præterierit in dãno est. Reliquos limites si transiluas, sine fraude fiet. Qui globum suo loco mouerit, perdit ius feriendi. E. Intelligo. G. En, occlusi tibi portam. E. Sed isthinc te excutiam. G. Id si feceris, cædã tibi huius certaminis

palmam. E. Bona fide? G. Optima. Non enim potes alia uia, nisi sic mittas sphæram tuam in parietem, ut resiliat in meam. E. Id experiar. Quid ais bone uir? Nónne depulsus es? G. Fateor, utinam tã sapiens esses, q̃ es felix. Sed istuc œnties tentanti, uix semel suæserit. E. Imò si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoq; experimento suæserit, uincæs. Sed interim redde pactũ præmium. G. Quod nam? E. Distichon. G. Reddam. E. Et quidem ex tempore. Quid arrodis unguem? G. Habeo. E. Recita clare. G. Clarissime. Plaudite auctorum uenes hic quotquot adestis. Nam me qui uiat doctior est nebulo. Nónne distichon habes? E. Habeo, sed quale abs te allatum est, tale tibi referetur.

SALTVS. PERSONAE.

Vinæntus. Laurentus.

V. Libét ne deœrtare saltu? L. Ludus iste non conuenit pransis. V. Quam ob rem? L. Quia uetris saburra grauat œrpus. V. Non admodum sanè qui pransi sint in pædagogio. Nam ij plerunq; cœnaturiunt priusquam absoluerunt prandum. L. Quod igitur saliendi genus placet? V. Auspicemur ab eo quod est simpliasimum. A saltu locustarum, siue mauis ranarum. Vtraq; tibia, sed unctis pedibus. Qui longissi-

me promouerit cingulum, coronam feret. Huius ubi erit satietas aliud atque aliud genus experiemur.

L. Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum perialo tibiarum. Nolim mihi rem esse cum chirurgis. V. Quid si certemus unica tibia. L. Iste ludus est Empusæ. Valeat. V. Hastiæ innixum saltare cum primis est elegans. L. Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Vergilium proposuit & Aeneas. V. Verum, sed idem proposuit & æstuum certamen, quo non delector. L. Designa stadium. Hoc loco sit carcer. Quercus ista sit meta. V. Sed utinam adesset Aeneas, qui proponat & præmia victori. L. Victori abunde magnum præmium est gloria.

V. Victo potius dandum erat præmium, solatij gratia. L. Sit igitur victo præmium, ut lappa coronatus redeat in urbem. V. Equidem non recusarim, si tu præcedas tibia canens. L. Est ingens æstus. V. Nec mirum quum sit solstitium æstiuum. L. Præstiterat natare. V. Mihi non placet ranarum uita. Animal sum terrestre, non amphibion.

L. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale. V. Imò etiam utile. L. Ad quid? V. Si fugiendum sit in bello, ibi potissimum ualent qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. L. Artē narras haud quaq̃ aspernandā. Neq;

enim minus laudis est aliquando bene fugere, quàm fortiter pugnare. V. Sum planè rudis & imperitus natandi. Nec sine periculo uersamur in alieno elemento. L. Sed assuescere oportet. Nemo nascitur artifex. V. At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse. L. Experieris primum innixus suberi. V. Nec suberi fido magis quàm pedibus. Si uobis cordi est natatio, spectator esse malo, quàm certator.

CONFABVLATIO PIA.

Erasmius. Gaspar.

E. Vnde nobis prodis è popina quapiam? G. Bona uerba. E. E sphæristerio? G. Ne hoc quidem. E. Ex cœnopolio? G. Nequaquam. E. Quando non assequor diuinando, dic ipse. G. Ex æde uirginis matri sacra. E. Quid illic tibi negocij est? G. Salutem dixi nonnullis. E. Quibus? G. Christo ac diuis aliquot. E. Religiosior tu quidem es quàm pro ætate. G. Imò nullam ætatem non decet religio. E. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi inijci aculeũ. G. Atq; ego idem faxerem, si quantum caloris adfert tantundem pietatis adferret aculeus. E. Aiunt uulgo pueros angelicos, in satanã uerti ubi consenuerunt. G. Sed ego prouerbium istuc ab autore satana natum arbitror. Imò uix existimo senem esse uere pium, nisi qui à teneris annis assueuerit. Nihil feliciùs dis-

tur, q̃ quod ab ipsa statim pueritia discatur. E. Quid igitur est religio? G. Est purus cultus numinis, & obseruatio præceptorum illius. E. Quæ sunt illa? G. Longum est, sed ut in summa dicam, in rebus quatuor est sita. E. In quibus? G. Primum ut recte pieq; sentiamus de deo, de scripturis diuinis: atq; ut illũ nõ uereamur modo, ut dominũ, uerũetiã amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentissimum. Secundum, ut summa cura tueamur innocentiã. Ea est ne quem lædamus. Tertium, ut teneamus charitatem, hoc est, ut de oĩbus quantum datur, bene mereamur. Quartum, ut seruemus patientiam. Ea præstat ut mala nobis illata, si mederi nequeamus, patienter tolleremus, non ulciscentes, nec malum malo referentes.

E. Næ tu probus esses condonator. Sed præstas ista quæ doces? G. Equidem adnitor pro mea utrili.

E. Qui potes pro utrili quum sis puer? G. Me ditor pro uiribus. Et quotidie mecum ineo rationem, si quid æssatum fuerit, corrigo. Illud præter decorum: hoc dictum petulantius: hoc factum inurcumspectius hoc tacere præstiterat. Illud omissum. E. Quando subduatur ista ratio? G. Fermè sub noctem, aut si quando magis uacat. E. Sed age dic mihi, quibus studijs totum transigis diem? G. Nihil ælabo tam fidum sodalem. Mane simulatq; sum expergefactus, id fermè fit ad sextam, aut quintam, pollicæ signum crucis

pingo in fronte & in pectore. E. Quid deinde? G. Auſpicor initium diei in nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti. E. Pie ſanè. G. Mox paucis ſalu to Chriſtum. E. Quid illi narras? G. Ago gratias, q, eam noctem mihi uoluerit eſſe proſperam: precorq; ut diem itidem illum totũ mihi bene fortunet, ad ipſius gloriam & animæ meæ ſalutem. Vtq; is qui eſt uera lux, occaſum neſciens, ſol æternus, omnia uiuificans, alens, exhilarãs dignetur illucæſcere menti meæ, ne uſq; impingam in ullum peccatum, ſed ipſius ductu perue niam ad uitã æternam. E. Haud inauſpicatum dux exordium. G. Deinde ſalutatis parentibus, quibus ſecundum deũ primam debeo pietatem, cum tempus eſt, confero me ad ludum literarium, ſed ut per tem plum, ſi commodum eſt, ſit mihi tranſitus. E. Quid illic? G. Rurſus tribus uerbis ſaluto Ieſum, ac diuos diuasq; omnes, ſed nominatim utrginem matrem, tum eos quos habeo mihi peculiares. E. Næ tu mihi pro be legiſſe uideris illud Catonis: Saluta libenter. Non ſat erat mane ſalutaſſe, niſi mox denuo ſalutares? An nõ uereris, ne moleſtus ſis īmodico offitio? G. Amat ille ſubinde appellari. E. Sed ineptum uidetur dice qui quem non uides. G. Nec eam mei partem uideo qua illi loquor. E. Qua? G. Animo. E. Sed odio ſum eſt ſalutare non reſalutantem. G. Reſalutat fre quenter arcano afflatu. Deniq; abunde reſalutat, q[illegible]

quod petitur. E. Quid hic ab illo flagitas? Nam uideo tuas salutationes esse petaces, cuiusmodi ferè sunt mendicorum. G. Sanè non procul aberras à scopo. Precor enim, ut qui puer duodecim annos natus, sedens in templo docuit ipsos doctores, cuiq; pater cœlitus emissa uoce dedit autoritatem docendi mortalium genus, quũ diceret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit ũ est, ipsum audite: quiq; est æterna sapientia summi patris, illustrare dignetur ingenũ meũ ad perdiscendas honestas literas, quibus utar ad ipsius gloriã. E. Quos aũt habes diuos tibi peculiares? G. Ex apostolis Paulum, ex martyribus Cyprianum, ex doctoribus Hieronymum, è uirginibus Agnetem. E. Quæres istos tibi conciliauit? electio, an casus? G. Sorttio obuenerunt. E. Atq; istos nihil aliud, quàm salutas? An ab eis quoq; mendicas aliquid? G. Precor ut me suis suffragijs Christo commendent, efficiantq; ut aliquando contingat in illorum uenire contubernium. E. Sanè rem non uulgarem petis. Quid tum postea? G. Ad ludum propero: & quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi præsidium, quasi citra illius opem nihil efficiat nostrum studium: sic studeo, quasi ille nihil auxilij sit laturus, nisi gnauiter laboranti. Ac modis omnibus do operam, ne meritò uapulem, ne quid dicto factóue, uel præceptorem offendam, uel sodales meos. E. Pro

bus es quum ista cogitas. G. Cum dimissus à ludo do mum propero, rursus, si licet per ædem sacrã iter fa cio. Rursusq; tribus uerbis saluto Iesum. Si quid est obsequij præstandum parentibus, obeo. Quod si qd etiam superest temporis, mecum aut cum sodali repe to, quod prælectum est in schola. E. Næ tu perpar cus es temporis. G. Nec mirum, si parcus sum rei, ut multo prædosissimæ ita irreparabilis. E. At Hesiodus docet in medio parcendum esse, in principio præproperam, in fine seram esse parsimoniam. G. Recte Hesiodus de uino, sed ætatis nulla est intem pestiua parsimonia. Dolium si fundas nõ exhauritur. At ætas nunquam non defluit, siue dormias, siue uigiles. E. Fateor, sed quid deinde rei geritur? G. Adorna ta parentibus mensa, redito consecrationem, deinde prandentibus ministro, donec iubeor & ipse prandiũ sumere. Actis gratijs, si quid uacat, lusu quopiam honesto laxo animum cum sodalibus, donec hora reuocat in ludum à lusu. E. Ac rursum salutatur Iesus? G. Salutatur, si commodum est. Sin est, aut non uacat, aut non sit tempestiuum, tamen præteriens tem plum, cogitatiũcula saluto. Rursus in ludo totis uiribus hoc agitur, quod locus postulat. Domũ reuersus, id ago quod ante prandium. A cœna suauibus fabulis me met oblecto, mox prosperam noctem precatus paren tibus ac familiæ, mature me confero ad nidum. Illic flexis

ante lectum

ante lectum genubus mecum, ut dixi, reputo, quibus stu
dijs is dies peractus sit. Si quid est grauioris admissi,
Christi clementiam imploro, ut ignoscat, pollicéorq;
meliora. Si nihil est, ago gratias illius beneficentiæ, q;
me seruarit ab omni uitio. Deinde me totum illi toto
pectore commendo, cæterisq; diuis, ut me protegant
ab insidijs mali genij, & ab obscœnis somnijs. His fa-
ctis lectum ingressus, frontem ac pectus signo crucis
imagine, ac me compono ad somnum. E. Quo pa-
cto te componis? G. Nec pronus cubo, nec supinus,
sed primum lateri dextro innitens, brachijs ita trans-
uersim complicatis, ut pectus muniant figura crucis,
dextra manu sinistro admota humero, læua dextro.
Ita dormio suauiter, donec aut expergiscar ipse, aut
excitor. E. Sanctulus es, qui ista possis. G. Imò
stultulus es qui ista dicas. E. Laudo institutũ, si que-
am assequi. G. Velis tantummodo. Nam ubi assue
ueris paucos menses, erunt hæc etiam suauia, adeo
uertentur in naturam. E. Sed nihil audio de sacris.
G. Nec hac parte mihi desum diebus festis. E. In
his quomodo te geris? G. Primum omnium exactio
meipsum num qua labe peccati sit animus contamina-
tus. E. Id si comperias, quid tum? subducis te ab al-
tari? G. Nequaquam corpore, sed animo me sub-
moueo, ac ueluti procul stans, nec audiens attollere
oculos ad patrem deum quem offendi, tundo pectus

meum, dicens illud ex Euangelio cum publicano: Domine propitius esto mihi peccatori. Deinde si sensero quempiam offensum à me, eum aut placandum è uestigio si licet, sin minus, statuo in animo mihi quum primum licebit reconciliare proximum. Si quis offendit me, remitto uindictam, doq; operam, ut qui læsit, agnoscat errorem suum & resipiscat. Sin eius rei nulla spes est, uindictam omnem deo relinquo. E. Isthuc durum est. G. An hoc durum, condonare leuem noxiam fratri tuo, cuius ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus, cum Christus omnia commissa nostra nobis semel condonarit, & quotidie condonet? Imò mihi uidetur hæc non esse liberalitas in proximum, sed fœneratio apud deum: perinde quasi conseruus ex pacto remittat conseruo tres drachmas, ut ipsi dominus condonet talenta decem. E. Pulchre tu quidem philosopharis, si modo ærtum sit quod ais. G. An postulas aliquid ærtius Euangelica cautione? E. Non est æquum. Sed sunt qui se non credunt esse Christianos, nisi quotidie, missam, ut appellant, audierint. G. Horum institutum equidem non damno, præsertim in his qui abundant otio, quiue totos dies occupãtur prophanis negocijs. Tantum illos non approbo, qui superstitiose sibi persuaserunt eum diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati à missa, Et statim à sacro se conferunt, uel ad negociationem, uel ad prædã, uel ad

aulam, ubi si quod per fas nefasq; gerunt, sua esse rit missæ imputant. E. Sunt ne q sic desipiāt? G. Magna pars hoīm. E. Sed redi ad sacrum. G. Si liæt, adsto uianus altari sacro, quo peräpere queā ea, quæ sacrificus reatat, præsertim Epistolam & Euangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo. Id mecum aliquandiu rumino. E. Nihil interim oras? G. Oro, sed cogitatione magis q̄ stre pitu labiorum. Ex his quæ reätat sacerdos arripio precandi occasionem. E. Dic istud explanatius, nā non satis assequor quid uelis. G. Dicam. Finge recitari epistolam: Expurgate uetus fermētum, ut sitis nouus consperso, sicut estis azymi. ad hæc uerba sic mecū loquor Christo: Vtinam uere sim azymus purus ab omni fermento malitiæ. Sed tu domine Iesu, qui solus es ab omni malitia purus ac synærus, largire, ut in dies & ipse magis ac magis expurgem uetus fermentum. Rursum si ferte legatur Euangelium de seminante semen suum, sic oro mecum: felix ille, qui meretur esse terra bona, precorq;, ut me ex terra parum frugifera, sua benignitate faciat terram bonam, sine cuius beneficio nihil omnino bonum est. Sint hæc exempli causa dicta. Nam singula persequi prolixum sit. Sed si contingat sacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non detur adesse propius altari, ferè libellum paro, in quo descriptum sit eius diei Euangeli-

um & epistola, inde ipse aut pronunão, aut oculis le-
go. E. Intelligo, sed quibus cogitationibus potis-
mum transmittis hoc tempus? G. Ago gratias Iesu
Christo pro ineffabili charitate, q̃ genus humanum
sua morte redimere dignatus est, & oro ne patiatur
suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum
esse, sed suo corpore semper pascat animũ meum: suo
sanguine uiuificet spiritum meum, ut paulatim ado-
lescens uirtutum auctibus, efficiar idoneum membrum
corporis illius mystici, quod est ecclesia, nec unq̃ desi-
diam ab illo sanctissimo fœdere: quod in extrema cœ-
na distributo pane, & porrecto poculo pepigit cum
discipulis suis electis, & per hos cum omnibus, qui p
baptismum in societatem illius insiti sunt. Quod si sen-
sero uagari cogitationem, lego psalmos aliquot, aut
aliud quippiam pium, quod animum ab euagando re-
hibeat. E. Habes in hoc psalmos certos? G. Ha-
beo, sed quos non ita mihi ipsi indixi, quin omittam,
si cogitatio quæpiam inadat, quæ magis reficiat ani-
mum meum, quàm illa Psalmorũ recitatio. E. Quid
de ieiunando? G. Cum ieiunio mihi nihil est negoti
cij. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse ualetudi-
nem attrendam ieiunijs donec corpus ætatæ robur in-
stum collegerit. Nondum autem egressus sum annum
decimumseptimum. Sed tamen si sensero opus, pra-
deo cœnoq̃ parãus, quo me prebeam alacriorem stu-

dijs pietatis per diem festum. E. Posteaquam cœpi semel, expiscabor omnia. Quomodo affectus es erga conciones? G. Optime. Ad has non minus religiose accedo, quàm ad sacrã synaxim. Et tamen deligo quos audiam. Sunt enim quos præstat non audisse. Quod si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione, lego Euangelium & epistolã cum interpretatione Chrysostomi, aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus interpres. E. Sed magis affiat uiua uox. G. Fateor, & audire malo, si detur concionator tolerabilis, sed non uideor omnino caruisse concione, si Chrysostomum aut Hieronymum scripto loquentem audiero. E. Non opinor. Sed quid te delectat confessio. G. Magnopere. Nam confiteor quotidie. E. Quotidie? G. Sic est. E. Alendus est igitur tibi proprie sacerdos. G. Sed illi confiteor, qui solus remittit peccata: cui est potestas uniuersa. E. Cui nam? G. Christo. E. An istud sat esse putes? G. Mihi sat esset, si sat esset procœribus ecclesiæ, & consuetudini receptæ. E. Sed quos tandem appellas ecclesiæ procères? G. Pontifices, episcopos, apostolos. E. Et inter hos annumeras Christum? G. Is est omnium sine controuersia colophon. E. Et huius receptæ confessionis autor? G. Is quidem autor est omnis boni, sed an ipse instituerit hanc confessionem, Theologis exa-

tiendum relinquo. Mihi puero & idiotæ ſuffiat maiorum autoritas. Hæc eſt certe præcipua confeſſio. Nec eſt facile confiteri Chriſto. Non confitetur illi, niſi qui ex animo iraſcatur ſuo peccato. Apud illum expono deploroq; ſi quid admiſi grauius, clamo, lachrymo, ploro, meipſum execror, illius imploro miſericordiam: nec finem facio, donec ſenſero peccandi affectum penitus expurgatum, è medullis animi, & ſuccedere tranquillitatem aliquam & alacritatem, condonati criminis argumentum. Atq; ubi tempus inuitat, ut adeam ſacroſanctam menſam corporis & ſanguinis dominici, confiteor & ſacerdoti, ſed paucis, & non niſi ea, quæ certo uidentur crimina, aut eiuſmodi, ut uehemens ſuſpicio ſit crimẽ eſſe. Neq; uero protinus arbitror eſſe piaculum quod admittitur aduerſus conſtitutiones humanas, niſi contemptus accęſſerit malicioſus. Imò uix arbitror crimen capitale, cui non ſit adiũcta malitia, hoc eſt peruerſa uolũtas. E. Laudo quod ſic es religioſus, ut tamen ſuperſtitioſus non ſis. Hic quoq; puto locum eſſe prouerbio: Nec omnia, nec paßim, nec quibuslibet. G. Deligo mihi ſacerdotem, cui credam arcana pectoris. E. Iſtuc eſt ſapere. Sunt enim permulti, quod compertum eſt qui quod accipiunt in confeſſionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & imprudentes, qui percontantur à confitente, quæ præſtiterat tacuiſſe. Sunt indocti & ſtolidi, qui ob ſordidum quæ-

ſtum præbent aurem uerius quàm animum, quum nec dijudicent inter noxiam & recte factum, nec doce re poſsint, nec conſolari, nec conſulere. Hæc ſic habe= re frequenter audiui ex multis, & ipſe partim exper tus ſum. G. Et ego numium. Proinde deligo mihi uirum non indoctum, grauem, ſpectatæ integritatis, linguæ continentis. E. Profecto felix es, qui iſta ma ture ſapere cœperis. G. Denuq; illa mihi prima rarum eſt, ne quid committam, quod cum periculo credam ſacerdoti. E. Nihil melius, ſi quidem poſ= ſis cauere. G. Nobis quidem difficillimum eſt, ſed auxiliante Chriſto facile eſt. Primum eſt, ut ad= ſit bona uoluntas. Eam mihi ſubinde renouo, præſer= tim diebus dominicis. Deinde ſubduco meipſum pro uiribus ab improborum conſortio, & ſodalibus inte= gerrimis me adiungo, quorum conuictu fiam meli= or. E. Recte tibi conſulis. Corrumpunt enim mo res bonos colloquia praua. G. Odium ceu pe= ſtem quandam fugio. E. Nec mirum, nam nihil malorum non docet odium. Sed ut nunc ſunt homi= num mores, ſolus uiuat oportet, qui uelit abeſſe à ma lorum conſortio. G. Non omnino uanum eſt quod dicis. Plures enim mali, ut Græcus ille ſapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus ſodalis, nonnunquam ſodalem reddit meliorem. Vito lu= ſus, qui prouocant ad nequitiã, uor innoxijs. Comem

me præbeo oĩbus. Sed familiarẽ non niſi bonis. Quod ſi quando inãdero in malos, aut corrigo blãde monendo, aut diſſimulo toleroq;, ſi uideor non profectu rus, ærte quum primum licet memet ab illis ſuffuror. E. Nunquam ne titillauit animum tuum libido capiundæ cucullæ? G. Nunquam, ſed crebro ſolliatatus ſum à quibuſdam ab hoc ſeculo uelut à naufragio, ad portum monaſteriorum uocantium. E. Quid ego audio? Captabant prædam? G. Miris technis adorti ſunt & me & parentes. Sed mihi ſtat ſententia, non addicere me uel matrimonio, uel ſacerdotio, uel inſtituto monachali, aut ulli uitæ generi, unde poſt me non queam extricare, priuſquam mihi fuero pulchre notus. E. Quando iſthuc erit? G. Fortaſſe nunq; Sed ante annum uigeſimum octauum nihil ſtatuetur. E. Cur ita? G. Quia audio paſſim tam multos ſacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, q; ſeſe temere præcipitarint in ſeruitutem. E. Cautus es, q; capi nolis. G. Interim tria mihi curæ ſunt. E. Quænam iſta? G. Vt profiãam in probitate morum. Deinde ſi id nequeam, ærte tuear illibatam, innocentiam ac famam. Poſtremo paro mihi bonas literas ac diſciplinas, in quouis uitæ genere futuras uſui. E. Sed interim à poëtis abſtines? G. Non in totum. Sed caſtiſſimos quoſq; potiſſimum lego. Quod ſi quid inciderit parum uerecundum, præterarro, quemadmodum

Vlysses obturatis auribus Sirenas præternauigauit.
E. Sed ad interim studiorum genere te potissimum ad dicis? mediánæ iuri Cæsareo aut pontificio, an Theologiæ? Nam linguæ, bonæ literæ, philosophia pariter conducunt ad omnem professionem. G. Nondum illi me planè addixi, sed ex omnibus gustum aliquem capio, ne cuiusquam planè sim rudis, utq; degustatis singulis, certius eligam, cui sim accommodus. Mediána ubiuis terrarum certissimum uiaticum est. Iuris prudentia uiam aperit ad dignitates. Theologia mihi cum primis placeret, nisi me mores quorundam, & morosæ in ter ipsos contentiones offenderent. E. Non facile labitur, qui sic pedetentim incedit. Complures abstinent à Theologia, quod uereãtur ne uacillent in fide catholica, quum uideant nihil non uocari in quæstionem.
G. Ego quod lego in sacris literis, & in symbolo, quod dicitur apostolorum, summa fiducia credo, nec ultra scrutor. Cætera permitto theologis disputanda: ac definenda si uelint. Si quid tamen receptum est usu populi Christiani, quod non planè pugnet cum sacris literis, hactenus seruo, ne cuiquam sim offendiculo.
E. Quis Thales te docuit istam philosophiam?
G. Fuit mihi admodum puero consuetudo domestica cum integerrimo uiro Ioanne Coleto. Nostin' hominem? E. Quid ni? Tanquam te. G. Is eam ætatem huiusmodi præceptiunculis imbuit. E. Non inui-

debis, si me præbeam æmulum instituti tui? G. Imò istoc nomine mihi futurus es multo charior. Scis enim similitudine morum conglutinari familiaritatem ac beneuolentiam. E. Verum, sed non inter competitores eiusdem magistratus, quum simili laborent morbo. G. Nec inter eiusdem sponsæ procos, quum pariter laborent amore. E. Sed extra iocum experiar imitari rationem istam. G. Precor ut tibi uertat quàmoptime. E. Fortasis assequar te. G. Vtinam & præcurras. Sed interim non operiar te. Quin ipse quotidie meipsum superare contendo. Sed tamen adnitere si potes, ut antecurtas.

VENATIO. PAVLVS, THOMAS, Vincentius, Laurentius, Bartholus.

P. Trahit sua quenq; uoluptas. Mihi placet uenatio. Tho. Placet & mihi, sed ubi canes, ubi uenabula, ubi cassis? P. Valeant apri, ursi, cerui, & uulpes, nos insidiabimur auricalis. V. At ego laqueos inijciam lo custis. Insidiabor gryllis. L. Ego ranas captabo. B. Ego papiliones uenabor. L. Difficile est sectari uolantia. B. Difficile, sed pulchrum, nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quia carent alis. L. Equidem malo insidiari piscibus. Est mihi hamus elegans. B. Sed unde parabis escam? L. Lumbricorum ubiq; magna est copia. B. Est, si tibi uelim

prorepere è terra. L. At ego mox efficiã, ut multæ myriades pſiliant. B. Quo pacto? incantamẽtis? L. Videbis artem. Imple hanc ſitulam aqua. Hos iuglandium ſummos cortices uirentes confractos immitto. Hac aqua pfunde ſolum. Nunc obſerua pauliſper. Vides emergentes? B. Rem prodigioſam uideo. Sic olim, opinor, exiliebant armati, ex ſatis ſerpẽtis dentibus. Sed plerique piſces, delicatioris & elegantioris ſunt palati, q̃ ut eſca tã uulgari capiantur. L. Noui quoddam inſecti genus, quo talibus inſidiari ſoleo. B. Tu uide, an poſſis imponere piſcibus, ego ranis fœſſam negociũ. L. Quo modo, reti? B. Non, ſed arcu. L. Nouũ piſcandi genus. B. At non iniucundũ. Videbis & fateberis. V. Quid ſi nos duo miœmus digitis? P. Ignauũ eſt ac ruſticũ luſus genus. Ad focum deſidentibus magis cõuenit, q̃ in campo uerſantibus. V. Quid ſi ærtemus nuãbus? P. Nuces admodum pueris relinquamus. Nos grandiuſculi ſumus. V. Et tamen nihil aliud adhuc, quàm pueri ſumus. P. Sed quibus decorum eſt ludere nuãbus, iiſdem non indecorum eſt equitare ì arundine longa. V. Tu igitur præſcribito luſus genus. Sequar quocũq; uocaris. P. Et ego futurus ſum omnium horarum homo.

EVNTES IN LVDVM

Syluius, Ioannes.

Syluius. Cur adeo curris Ioannes? Io. Cur leprus,

ut aiunt, pro cærubus? S. Quid hoc prouerbij est? Io. Quia nisi adfuero in tempore, ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea. S. Hac quidem ex parte nihil est periculi. Modo præterita est quinta. Inspice horologium, manus nondum attigit punctum, quod horã ab hora æquis spacijs dirimit. Io. At ego uix habeo fidem horologijs. Mentiuntur nonnunquam. S. At mihi fide, qui campanæ uocem audiui. Io. Quid loquebatur? S. Horã esse quintam. Io. Sed est & aliud, unde magis etiam timeam. Reddẽda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor ut possim. S. Commune periculum narras. Nam & ipse uix satis teneo. Io. Et nosti præceptoris sæuitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parat nostris natibus, quàm si corium esset bubulum. S. Verum is non aderit in ludo. Io. Quem igitur uicarium constituit? S. Cornelium. Io. Strabum illum? Væ nostris natibus. Is uel Orbilio plagosior est. S. Verum dicis, & ideo non raro sum illius brachio precatus paralysim. Io. Non est pium imprecari præceptori, nobis potius cauendum ne inidamus in illius tyranni manus. S. Reddamus inter nos uicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente. Io. Pulchre mones. S. Fac præsenti sis animo. Nã metus officiat memoriæ. Io. Facile deponerem pauorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine

quis posset esse securus animo? S. Fateor. At tamen non agitur de capite, sed de parte diuersa.

ALIA. CORNELIVS. ANDREAS.

C. Sate tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum.
A. Quæso ut appares mihi pennam hanc.
C. Deest mihi gladiolus scriptorius. A. En tibi.
C. Hui quàm obtusus. A. Accipe cultellum.
C. Vtrũ amas scribere cuspide duriuscula an molliore? A. Attempera ad manũ tuam. C. Ego molliore soleo. A. Quæso ut mihi describas ordine figuras elementorum. C. Græcas an Latinas? A. Latinas primum, Conabor imitari. C. Suppedita chartã.
A. Accipe. C. Sed meum atramentum dilutius est, subinde infusa aqua. A. At meum linteolum prorsus exaruit. C. Immunge, nisi mauis immeiere.
A. Imò potius rogabo aliunde. C. Præstat habere domi, q̃ rogare commodato. A. Quid est scholasticus absq; calamo & atramento? C. Quod miles absq; clypeo & gladio. A. Vtinam mihi essent artificiali tam æleres. Equidem non possum dictantis uocem scribendo assequi. C. Prima cura sit ut bene scribas proxima, ut celeriter: sat ito, si sat bene. A. Belle, sed istam cantionem cane præceptori, quum dictat: Sat ito si sat bene.

AGENDI GRATIAS FOR.

Petrus. Gratum mihi feâsti, quod aliquoties ad me scripseris. Habeo gratiam, quod ad me crebrius scripsisti. Amo te, q interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, q crebris literis me uiseris. Ago tibi gratias, qui literarum fascaulis nos oneraris. Maxima tibi à me habetur gratia, qui nos aliquando literis lacessiueris. Per gratũ mihi feâsti, q nos dignatus sis tuis literis. Debeo tibi pro tuis humanissimis ad me literis. Magni beneficij loco duco, quod non es grauatus ad me scribere.

RESPONSIO.

Christianus. Imò meum est deprecari culpam impudentiæ, qui non ueritus sim tibi homini, tum occupatissimo, tũ doctissimo, meis illiteratis literis obstrepere. Agnosco solitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni consulueris. Verebar ne quid offendissent te meæ literæ, quod nihil omnino responderes. Non est quod agas gratias: mihi plus satis est, si sedulitatem meam acæpisti in bonam partem.

NOVA ROGANDI, FOR.

P. Nihil ne nouarum rerum adfertur è patria? Num quid noui de nostratibus acæpisti? Quid noui? Ecquid nouarum rerũ apportas? Num quid noui fertur? Nũ quæ res nouæ è patria nunciantur?

RESPONSIO.

CH. Noui quidem pmultum, at nihil ueri. Nouarũ quidem rerũ satis, at nihil compertι. Noua pmulta, at explorati nihil. Non parũ noui, at ueri nõ multũ. Nihil affertur noui. Nouarũ rerũ nihil prorsus accepi. Certi nihil, noui nonnihil. Rumores afferuntur permulti, sed dubij. Plurima est fama, at rerũ nihil, firmi nihil. Si uana te capiunt, adfero tota plaustra mendaciorum. Fabularum totos modios apporto. Tantum mendaciorum adfero, quantum uix una nauis uehat. Pe. Exonera te q̃ primum, ne succumbas tanto oneri. Ch. Nihil habeo præter ea quæ iactantur in tonstrinis, in uehiculis, & in naubus.

AN ACCEPISTI LITERAS? FOR.

P. Nihil ne literarũ accepisti? Num aliquas è patria recepisti literas? Nullæ tibi sunt redditæ literæ? Nũquid scriptorum accepisti? Num quas accepisti epistolas? Ecquas ab amicalis accepisti literas? Nihil epistolarum aduolauit è Gallia?

RESPONSIO.

Ch. Literarum nihil accepi. Ne pilum quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum. Nemo literam ad me. Ne uerbum quidem à quoquam redditur. Tantum literarum accepi iam diu, quantum uides in oculo meo. Equidem pecunias quàm literas malim. Argentum accepere ma-

lim quàm epistolas. Nummos recipere malim quàm epistolas. Nihil moror literas, modo ueniat argentum. Equidem numerari malo mihi quàm scribi.

CREDO FOR.

P. Facile credo. Haud difficile creditu est. Credi istud perfacile potest. Istud tibi quis non credat? Ad modum incredulus fuerit, qui hoc tibi non credat. Profecto habeo tibi fidem. Istius rei mihi facile fidem facis. Credo tibi uel iniurato. Verisimile dicis. Adferunt tamen nonnihil solatij litteræ. At ego alterutrum malim quàm neutrum.

VTILITATIS FOR.

CH. Quorsum spectant literæ sine pecunia? Ad quid tãdem inanes conducunt literæ? Quorsum ualent, ad quid conferunt, faciunt, prosunt, proficiunt, literæ uacuæ? Cui gratæ, cui acceptæ literæ sine nũmis? Quid emolumenti adferunt literæ inanes? Cui bono sunt odoræ literæ? Quid iuuant, cui sunt usui? Ad quid cõducibiles sunt? Quid secum adferunt momenti? Cui rei sunt utiles inanes epistolæ?

RESPONSIO.

P. Podicã tergendo utiles, idoneæ, accommodæ. Conducunt natibus tergendis. Si usum nescis earum, ad anum expurgandum ualent. Ad nates tergendas. Ad

posticum

posticum purgandum. Conferunt ad eam corporis partem mundãdam, quæ semet identidem inquinat. Valent conuestiendis scombris. Inuoluendo thuri sunt accommodæ. P. Quid? ualent ne amiculi? quid uxor agit tua? Ch. Recte, eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem.

BENE PRECANDI FOR.

P. Bene & tibi & illi uertat, tibi q̃ pater, illi quod mater futura sit. Adsit deus. Vt utriq; uestrum faustũ felixq; sit precor, optoq;. Quæso, oro superos omnes, ut incolumis prolem uobis dignam pariat, & pulchra fiãat te prole parentem. Laudo te, quod uirũ te præstiteris, Gaudeo te uirum præstitisse. Gallum te esse declarasti, at non Cybeles. Abi, uirum te iudico. Ch. Ludis idq; facis tuo more. Age age, est tibi tus apud me loquẽdi quæ libet. Audio te patriam nuper reuisisse. P. Sic est factum. Nã diutu sale iam abfueram, non ferebam tam diuturnum patriæ desiderium. Non poteram à parentum conspectu abesse diutus. Torquebat me diutinum amicorum desiderium. Ch. Pie feãsti qui ista cogites. Duãmur enim omnes admirabili quodam amore eius regionis quæ nos aluit atq; ædidit. Et nesão qua natale solum dulcedine cunctos Ducit, & immemores non sinit esse sui. Dic quæso quonam in loco illic offendisti omnia.

NOVA OMNIA, FORMVLA.

P. *Nihil non nouum. Mutata omnia. Noua ta singula. Vniuersa noua. Vide quàm repente tempus res mutet humanas. Videbar mihi in alium uenire mundum. Vix dum decennum abfueram, & non secus omnia admirabar, quàm Epimenides somnatorum princeps, uix tandem expergefactus.* Ch. *Quænam ista est fabula? Quid istuc est fabulæ?* P. *Dicam equidem si uacat.* Ch. *Nihil fuerit iucundius.* P. *Sellam igitur unà cum puluino mihi poni iube.* Ch. *Recte admones, nam sedens commodius mentieris.* P. *Fabulantur historiâ de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulàdi gratia solus urbem egressus, quum subita pluuiæ ui compulsus in quandam speluncam ingressus obdormisset, quadraginta septem perpetuos annos somnum continuarit.*

NON CREDO. FORMVLA.

Ch. *Quid narras? Incredibile dictu. Non uerisimile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi simile ueri. Monstri simile narras. Non pudet tam improbæ uanitatis? Digna fabula, quæ addatur ueris narrationibus Luciani.* P. *Imò rem narro à grauissimis proditam autoribus. Nisi fortè tibi parum spectatæ fidei est Aulus Gellius.* Ch. *Mihi*

uero quæ scribit ille, folia Sibyllæ sunt oïa. P. *Quid tandem theologum tot annos somnuasse reris? Nam theologum fuisse proditum est.* Ch. *Audire gestio.*

RESPONSIO

P. *Quid aliud quàm quæ postea prodidit Scotus, & huius farinæ sodales? Sed bene cum Epimenide actum est, qui uel tandem ad se redierit. Multi theologi nunquàm expergiscuntur à suis somnijs.* Ch. *Age facis ut poëta dignum est. Sed perge mentiri.*

P. *Epimenides igitur somno solutus, è spelunca prodit, circumspicit, mutata uidet omnia, syluas, ripas, flumina, arbores, agros, breuiter nihil non nouum. Accedit ad urbem, percontatur, manet illic aliquandiu, neq; nouit quenquàm, neq; à quopiam agnitus est. Alius hominum cultus, nec idem uultus, mutatus sermo, diuersi mores. Nec miror hoc Epimenidi post tantum annorum euenisse, cum mihi idem propemodum euenerit, qui paucos annos abfuissem.* Ch. *Quid uterq; parens, uiuúnt ne?* P. *Viuunt ambo: & ualẽt utrunq;: senio, morbo, curis, deniq; bellorum calamitate confecti.* Ch. *Hæc est humanæ uitæ comœdia. Hæc est fatorũ lex ineuitabilis.* P. *Cœnabis hodie domi?* Ch. *Foris cœnaturus sum. Foris cœnandũ est mihi.* P. *Apud quem?* Ch. *Apud soœrum meũ, apud generum meum, apud nurum meã, apud affinem meũ.*

¶ Affines dicuntur qui non ſanguinis ſed matrimonij coniunctione copulati ſunt. P. Quæ ſunt igitur uſitata uocabula affinitatum?

NOMINA AFFINITATVM.

Ch. Maritus & uxor nota ſunt nomina.

Soœr uxoris meæ pater eſt mihi.
Gener filiæ meæ maritus.
Socrus uxoris meæ mater.
Nurus filij mei uxor.
Leuir mariti frater. Leuir dicitur ab uxore, ut Helena Hectorem leuirum uocat, quod eſſet nupta Paridi.
Fratria fratris mei uxor.
Glos mariti ſoror.
Vitricus matris meæ maritus.
Nouerca patris mei uxor.
Priuignus uxoris aut mariti filius.
Priuigna filia alterutrius.
Riualis qui amat eandem.
Pellex quæ amat eundem. Vt Thraſo riualis eſt Phedriæ. Et Europe pellex eſt Iunoni.

CRAS PRANDEAS, FOR.

P. Ago gratias. Laudo te. In craſtinum igitur te ad cœnam uoco, Cras ergo ut mecum cœnes oro. Cras

igitur mecum prandeas rogo. Cras igitur te mihi conuiuam uolo.

TIMEO NE NON POSSIM.

Ch. At uereor ne non liuerit. Vt posim metuo. Venam si quidem liæbit. At metuo ne non queam.

QVARE.

P. Cur non liæbit? Qui sic? Quid ita? Quam ob rem? Quo pacto? Quid causæ? Quid obstiterit quo minus posis?

DOMI ME ESSE OPORTET.

Ch. Tum quidem mihi domi manendum est. Vt domi nocte sim necesse est. Tum certe foris esse non liæbit Cras mihi quóquam ire foras, liberũ non erit. A prandio abesse mihi integrum non erit. Aliquot ipse conuiuas eo die opperior. Aliquot amicli constituere ea nocte domi nostræ cœnare. Ipsi mihi conuiuæ sunt ea nocte tractandi, alioqui lubens uenirem. Nisi id esset, haud grauatim facerem. Quod ni esset, haud me tibi difficilem præberem. Non excusarem si liceret. Non paterer bis rogari, si queam. Paræ rogare. Vel inuocatus adessem, si quo pacto liceret. Haud grauate tibi obsequerer si posim. Frustra rogas eum, cui non est liberum, frustra item rogaturus, si liberum esset. Nunc ut maxime optiam non possum. Tunc superuacaneum esset rogare uolentem. P. Vel perendie apud me sis oportet Saltem perendino die ad cœnam uenias necesse est.

Quarto ab hinc die non grauaberis mihi præbere conuuam. Die Iouis proximo, non potes effugere quin uenias.

NON POSSVM PROMITTERE.

Ch. Non possum polliceri. Affirmare istud tibi nõ possum. Promittere certo nequeo. Venam ubi utriq; nostrum uidebitur commodissimum.

DIEM DICERE DEBES.

P. Diem igitur mihi constituas uolo, ad quem mecum sis cœnaturus. Diem igitur assignes oportet. Diem igitur promittas, necesse est. Diem certum mihi præfinuri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum diem condicto. Diem mihi dicas uelim.

NOLO TE PRAESCIRE.

Ch. Equidem non soleo dicere diem amicis. Præsciũm te esse nolim. Præscire te nolo. De improuiso te opprimam. Inopinato te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil suspicantem oppressurus sum. Non expectatus adfuero. Adoriar te nec opinantem. Veniã ultroneus & insperatus conuuã.

PRAESCIRE VOLO.

P. Biduum præscire uolo. Biduum præsciũs esse cupio. Præmoneto biduo priusquàm uenias. Fac

me biduo ante cœnatorem. Ch. Si me urges, dico tibi diem Sybariticum, ne desit apparandi spacium. P. Quid hoc uerbi est? CH. Sybaritæ conuiuas inuitabant in annum proximum, ut utrinq; esset tu-stius apparatus. P. Valeant Sybaritæ cũ suis mole-stijs conuiuijs. Ego congerronem uoco, non Satrapam.

TVO MALO OPTAS.

CH. Equidem tuo detrimento. Tuoptè quidem ma lo. In damnum tuum istud optas. Incommodo istud precaris tuo. P. Quid ita? Quam ob rem? Ch. Ego instructus accedam. Ego munitus ueniam Aggrediar te paratus. Instructus multa fame acce-dam, tu uide ut uulturem expleueris. Parabo uentrẽ, ac dentes exacuam, tu uide quibus modis lupum exatu res. P. Age ad hoc cœrtamen te prouoco. Age fac pro uiribus, pro uirili, si qd potes maxime. Ch. Ve niam, sed non incomitatus. P. Tanto uenies gra-tior. Sed quo comitẽ uenies? Ch. Vmbra. P. Nec secus posses, si modo luce uenias. Ch. Sed umbram adducturus sum dentatam unam atq; alteram, ne tu me uocaris impune. P. Age, ut libet, modo ne laruas adducas. Sed explana si libet, quid sibi uelit umbræ uo cabulum. Ch. Apud eruditos umbræ uocantur, qui ipsi non uocati comitantur eũ q uocatus est ad conui-uium. P. Talium umbrarũ adduc quantũ uoles.

EA LEGE PROMITTO.

CH. Veniam quidem, at hac lege, ut tu postridie eius diei uiãßim apud me cœnes. Faciam eo quidem pacto ut tu deinde mihi quoq; sis conuiua. Ea lege cœnam cõdico, ut tu rursum mihi sis conuiua. Spondeo futurum, sed hac exceptione, si tu postero die itidem apud me sis. Reãpio tibi facturum me. Do fidem futurũ his quidem legibus, ut tu mecũ postridie prandeas. P. Age fiat. Esto. Sit ita ut uis. Si iubes faciam. Noui Gallorum magnificentiam. Non uis gratis apud me cœnare, nisi uices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbem conuiua. Sic nascitur conuiuiorum longa periodus. Hac uiãßitudine fiunt sine fine reãproca conuiuia. Ch. Nihil suauius, si minimum accedat apparatui quotidiano. Cæterum ego te detineo, aliò fortaßis iturum. P. Imò ego te opinor. Sed cras latius & familiarius confabulabimur. Verum crastino die plura nugabimur. Interim fac ualeas. Iterim cura, ut bene ualeas. Interim ualebis.

QVO IS? FOR.

CH. Quò tu nunc abis? Quò tu nunc properas? Quò tu tã celeri gradu tendis? Quónam te confers? Quò nunc iter est?

EO DOMVM, FOR.

P. Domum me reãpio. Domum reuertor. Domum repeto. Domum me confero. Viso quid domi agatur.

Accerso medicum. Rus hinc conædo. Constitui ad hãc horam cum uiro quodam grauissimo colloqui. Statui hac hora uerba facere cum uiro grauissimo.

Ch. Quónam? P. Cum Curione multiloquo.

Ch. Precor igitur tibi præsentem Merurium.

P. Quid opus Merurio fauente? Ch. Quia res erit cum lingua. P. Atqui hac gratia magis conueniebat mihi memoriam precari propiãam.

Ch. Quid ita? P. Quia patiẽtissimis auribus opus erit potius quàm strenua lingua. At auris memoriæ dicata est. Ch. Quanam iturus es? Quâ ibis?

P. Hac ad sinistrã, hac, illac, per forum. Ch. Comitabor igitur te. Assectabor ac deducam te ad diuerticulum usq;. P. Non patiar te ãrcumagi. Nolim te tantum laboris mea causa capere. Isthuc officij seruabitur erit usus. Nunc nihil opus est. Ne mea gratia facias uiæ tuæ dispendium. Ch. Mihi quidem compendiũ est, frui tantisper amico. Nihil habeo quod agam, & non sum piger: nu tibi sum molestus comes. P. Nemo iucundior assecla. At non sinam, ut mihi claudas læuum latus. Non admittã, ut mihi siniſter ambules.

Ch. Hic te superis commendo. Nolo te longius comitem. Vlterius nolo me comiteris.

COMMENDANDI FOR.

Ch. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quàm commendatiss. facias.

Me Curioni commendatum quàm diligentißime cura to. Iube ut me ſibi commendatiß. habeat. Ego me illi per te commendatum facio. Me tibi etiam atq; etiam commendo. Me tuæ humanitati quàm poſſum diligentißime commendo.

¶ Recommendo pro commendo, barbaris relinquito. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo ſis pauciloquus.

OBSEQVII.

P. Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obſequi? Vis tibi obſecundem? Te igitur imitari me iubes? Quandoquidem ita uis, faciam libentißime. Ne ſis mihi diutius in mora, imò ne uterq; alteri. Ch. Sed priuſquàm abeas, quæſo te ne graueris me docere, quo pacto his ſit utendum, in mora, in cauſa, in culpa, qui ſoles elegantiæ ſtudioſus eſſe. Quare age, doce obſecro. Diſſere amabo.

IN CVLPA, IN CAVSA IN MORA.

P. Mos gerendus eſt tibi. Non eſt culpa in me, non eſt culpa in te. Mora eſt in te, in te cauſa eſt: grammaticæ quidem diatur, at multo elegantius.

IN CVLPA.

Non ſum in culpa. Culpa non eſt mea. uaco culpa. Quod nihil proficis, tua deſidia in cauſa fuit, non præceptor, non pater tuus. In culpa omnes eſtis.

Vtriq; in culpa estis. Vtriq; culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Inàdisti in morbum tuo ipsius uitio, tua ipsius culpa. Itidem dicuntur in uitio esse, quibus culpa debet imputari: & in crimine esse, qui culpandi sunt: & in damno esse, qui damno affiauntur. Hoc genus sermonis non temere licet inuertere. Damnum in illo est, uitium in illo est.

IN CAVSA

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quod rarius ad te scripserim, mea negocia in causa fuerunt, non negligentia. Quid in causa fuit? Quid causæ fuit? Ego nõ sum in causa. Quod nullas à me literas acceperis, tabellarius in causa fuit. Quod tã male tus es, amor, nõ studiũ in causa est. Hoc est, causæ.

IN MORA.

Non ero uobis in mora. Quid nam uobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas, tuum est memoriæ insculpere. Habes assectatunculæ tuæ præmium. Vale mi Christiane. Ch. Vale in crastinum & tu mi Petre.

IN OCCVRSV.

CH. Salue multum iucundissime Augustine.

A. Salue tantundem mi humanissime Christiane. Felix sit tibi huius diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandẽ agitur? Ch. Suauiter, ut nũc res no

ſtræ ſunt. Et capio omnia quæ uis. A. Merito te amo. Amo te. Amandus es. Benigne dicis. Comis es. Habeo gratiam.

IRASCOR TIBI, FOR

CH. At ego nonnihil tibi ſuccenſeo. At ego tibi ſubiraſcor. Verum ego tibi ſum ſubiratus. Atqui ego ſum in te ſtomachoſior. Atqui nonnihil eſt, quel habeo, quod tibi ſuccenſeam.

QVA CAVSA? FORMVLA

Au. Quidnam eſt iſtud obſecro? Quid ita? Quam ob rem tandem oro? Quid admiſi ſceleris? Quid commerui? Promereor bona, aut laudē: commereor mala, aut pœnam, illud in bonam, hoc in malam partem ſumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

QVIA NON CVRAS ME.

CH. Quod nulla mei tibi cura ſit. Quod nihil nos reſpicis. Quod tam raro nos reuiſas. Quod nihil nos cures. Quod me planè negligis. Quod noſtri curam uideris abiecíſſe. A. At nihil eſt cauſæ cur ſuccenſeas. At præter meritum meum. At immerito ſuccenſes. Neq; enim mea culpa accidit, quod te rarius uiſam. Dabis ueniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quoties cupio, te reuiſere. Ch. Ita demum tibi ignoſcam, ſi hodie apud me cœnes. Ea conditione

purgatus mihi eris, si uesperi ad cœnam uenias.
A. Haud iniquas pacis leges præscribis Christiane, quare haud inultus fiam. Equidem fiam uolens. Istud quidem fœro perlibenter. Haud grauate fiam. Hic sanè non me præbebo difficilem. Nihil hac re fœro libentius. Animo fiam lubenti. Ch. Laudo tuam facilitatem, & hac in re, & in cæteris omnibus.
A. Sic soleo amicis obsequi, præsertim non iniqua petentibus. Ridiculum, an tu me recusaturum putabas oblatum, quod ultro etiam erat rogandum.

NE FALLAS ME FORMVLA

Ch. Age, at caue, ne me deluseris. Caue fallas. Caue spem frustra foueam. Caue luseris expectantem. Caue mihi uerba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me uana spe lactes. A. Nihil opus iureurando. In cæteris, in alijs time perfidiam, hac in re non fallam. Sed heus tu, caue quicquam paraueris præter quotidiana, mea causa diem festum nolo. Scis me conuiuam minime edacem, bibacẽ multo minus. Nosti enim me cõuiuam non multi ãbi, sed toã plurimi. Ch. Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica cœna excãpiã, aut fortasse frugaliore. A. Imò Diogenica, si me delectare uoles. Ch. Certè Platonica cœna te accipiã, in qua multum sit literatarum fabularum, ãbi minimum, cuius uoluptas duret etiam in posterum diem.

Alioqui qui prolixe fuerit acceptus, fortassis eo die suauiter affiatur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui cœnabat, unam uoluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisq; philosophicis. Alteram postridie, quod nec captis grauedinem, nec stomachi cruditatem senturet. Ita prandebat etiã suauiter, ex condimento cœnæ pridianæ. A. Placet, fiat ut mones. Ch. Tu uide omnes curas tuas, ac rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas, & risum nihil adferas. Et ut inqt Iuuenalis: Protinus ante meum quicquid dolet exue limen. A. Quid? literas mecum uentre non uis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. Ch. Tetricas Musas unà cum negocijs domi claudas. Blandas Camœnas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepores, ridicula omnia tecum adducito. A. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus autem. Iudulgebimus genio. Genialiter cœnabimus. Epicureos agemus. ¶ Bonum uultum faciemus, & erimus boni socij, nec elegantium elegantiæ sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem. Ch. Quò nunc properas? A. Ad generum meum. Ch. Quid illuc, quid eo, quid illo? A. Audio nescio quid turbæ inter eos natum, ut redigam eos in gratiam: ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam. Ch. Benigne

ſcis, quanq̃ nihil te opus eſſe arbitror. Nam ipſi inter ſe melius hoc bellum compoſuerunt. A. Fortaſsis & induciæ dictæ ſunt. Noctu de pacis legibus agetur. Sed nunquid me aliud uis? Ch. Vocabo te per puerum meum. A. Vbi uoles, domi ero. Bene uale. Ch. Bene ſit tibi. Fac hic ad quintam horam adſis. Heus Petre, accerſe ad cœnam Auguſtinum, qui mihi hodie, ut ſcis, cœnã condixit. PVER PETRVS. Eo. Salue poëta. Cœna iamdudum parata eſt, te herus expectat domi, ubi uoles, accedas. A. Venio. Salue mi Chriſtiane. Ch. Bene factum q̃ uenisti. Gaudeo te aduenisse. Gratulor mihi q̃ uenisti. Nondum quinta ſonuit credo. PVER. Imò iam dudum prætrita eſt. Haud longe ſexta abeſt. Inſtat hora ſexta. Mox ſextam audies. A. Parui refert, an poſt quintam uenerim, nec ne, modo ne poſt cœnam. Nam poſt feſtum uenire miſerum eſt. At quorſum tantus apparatus? Quorſum tot epulæ? Num me lupum exiſtimas? Num tibi lupus uideor? Num me uulturem putas? Ch. Non uulturem, ſed tamen nec acadam, ut rore uiuas. Nihil eſt luxus. Mundiaes mihi ſemper placuit. Sordes deteſtor. Nec Apicius mihi placet, nec Diogenes. Præſtat aliquid ſupereſſe, q̃ deeſſe. Si præter aer nihil apponeretur, & fuligo forte illapſa in ollam condiret legumen, quid tum ederetur? Nec oia ſapiũt oibus. Itaq; mihi placet moderata uarietas,

A. Non tu metuis leges sumptuarias? Ch. Imò pe cauì frequẽter in diuersum. Nihil opus nobis lege Fannia. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas.
A. Haud ita conuenerat. Longe aliter pollutus es.
Ch. Age ineptè, nec ipse conuenta seruas. Conuenerat enim ne quid præter nugas inferres. Quin hæc nussa faciamus. Lauemus ac discumbamus. Heus tu puer, cape guttum ac patinam, linteũ ex humero suspende, ministra aquam, quid cessas? Laua Augustine.
A. Laua tu prior. Ch. Bona uerba. Hoc anno perpetuo illotus cœnare mallem. A. Ridiculum, non honoratiori, sed turpiori ante alios lauandum est, Laua igitur ut immundior. Ch. Tu es urbanus plus satis. Es urbanior quàm sat sit, quàm par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Huiusmodi cæremonias ineptas mulieralis relinquamus, quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, unde tamen olim profectæ sunt. Lauentis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus huiusmodi moris. Ego nulli designabo locũ, sumat sibi quisq; quem uolet. Qui delectatur igni, hic commodius accumbet. Qui offendatur luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hic sedeat. Agite, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum, uel stans cœnabo si lubeat, uel obambulans. Cessatis? At interim cœna corrũpitur. A. Viuamus nunc, caremusq; cutacalam. Sumus nunc Epicurei. Nihil nobis cum

fronte

fronte Stoica. Valeant curæ. Absit omnis liuor, exu let obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo le pidus. Ch. Qui nam sunt isti Stoici atq; Epicurei Au gustine? A. Stoici philosophorum quoddam genus est triste, seuerum, ieiunum, qui hominis summum bo num honesto, nesao quo, metiuntur. Epicurei his lon ge diuersi, felicitatem hominis uoluptate terminant. Ch. Tu igitur cuias es tandem, Stoicus an Epicureus? A. Zenonem laudo, at Epicurum uiuo. Ch. Quod tu ioco dicis Augustine, id serio factitant hodie nõ pau a pallio tantum & barba philosophi. A. Imò isti uel Asotos superant luxu. Ch. Heus Dromo ades huc. Tuo munere fungere: consecra cœnã. Pu. Quic quid appositum est, & quicquid apponetur felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit uniuer sa. Amen. Ch. Appone epulas. Quid cunctamur hunc capum decerpere? quid trepidamus hunc gallũ lacerare? A. Ego Heraclem præstabo, ac belluam hanc confidam. Vtrum mauis de ala, an de poplitibus? Ch. Vtrum uis, nihil mea refert. A. In hoc genere, alis primæ partes tribuuntur, in cæteris popli tes lautiores putat uulgus. Ch. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras, ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo: at ea lege, ut dimidium mihi re stituas. A. Itáne agitur? At istud est tibi ministrare,

non mihi. Tibi ſerua, ego enim ſum impudẽtior, quàm cui miniſtrari quicquam debeat. Ch. Probe facis. A. Eho tu lupo cibum miniſtras? Vulturem inuitas? Ch. At ieiunas, non cœnas. A. Imò me uno nihil edacius. Ch. Imò mendacius nihil. Perinde agito ac ſi domi ſis tuæ. A. Iſtud iam planè mihi perſuaſi. Iſtud iam in animum induxi. Sic ſtat ſententia. Conſilium eſt iſtud facere. Ch. Quid tibi hoc uinum placet? Quid te hoc uilli delectat? A. Mihi quidem perplacet. Me certe uehementer iuuat. Me ſatis delectat. Me nõ mediocriter iuuat. Ch. Vtrum mauis rubrum, an candidum?

NON REFERT QVO SIT COLORE.

A. Equidem utroq; iuxta delector. Nihil refert quo ſit colore, modo ſapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat uinum, modo palatum iuuet. Nihil me mouet aſpectus, ſi ſapor placeat. Parui refert, quo ſit colore, quem habeat colorem, ſi ſapiat bene. Non cupio oculos paſcere, ſi palato ſatisfacere queat, modo palatum iuuare poßit. Nihil moror colorem, modo gratus ſit ſapor. Ch. Credo. Atqui ſunt cœnaticæ philoſophiæ cum primis periti, qui negant uinum eſſe probandum, niſi quod placeat quatuor ſenſibus: Oculis colore, naribus odore, palato ſapore, auribus fama & nomine. A. Ridiculum quid fama conduat ad potum? Ch. Tantum ut multi non

stupidi palati, uehementer probarint uillum Louanio uernaculum, quum crederent esse Belnense. A. Fortasse iam larga potatione palatum obsurduerat. Ch. Imò nondum attigerant poculum. Tamen iudicium tuum audire cupio, hominis his in rebus peritissimi. A. Album nostrates rubro præferunt: quod rubrum paulo sit acerbius, & alterum exilius quidem, sed illud mitius, & ut arbitror, salubrius. Ch. Habemus & subrubrum, & flauum, & purpureũ. Hoc mustum est hornum. Hoc bimũ est, si quem capit uetustas. Habemus & quadrimum. Sed iam uapesãt ac desipisãt senio. Aetate uiger euanuit. A. Lucullì diuitias audio. Ch. Heus puer ubi cessas? Nos hic plane negligis, non uides quanta sit hic siccitas? Quid si hoc rerum statu incendium contingeret, quo restingueremus? Date singulis plenos cyathos. Augustine quid habes, quod parum es hilaris? Quid accidit tibi, quod sedes tristior? Quid tibi est, q̃ minume gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chrysippum agis, Melissa tibi opus est. A. Quam hic mihi fabulam narrat? Ch. Chrysippus adeo fertur intentus fuisse suis argutijs logicis, ut ad mensam etiã fame periturus fuerit, nisi anulla Melissa ãbum in os ingessisset. A. Ille uero indignus erat, qui seruaretur. Sed si te offendit taãturnitas, placetq; conuiuiũ uocalius: est quo id effiãas. Ch. Memini. Recte ad

mones, liberalius bibendum, largius, copiosius, meracius oportet bibere.

REM ATTIGISTI.

A. Rem acu tetigisti. Recte iudicas. Scopum attigisti. Nam sœcundi calices, quem non sœcre disertum? Ch. Perdocte tu quidem Augustine, ut omnia. Sed quoniam in sermonem uinarium: quando in mentionem inidimus uinorum, libet interrogare, quonam consilio ueteres illi Bacchum, quem uini autorem uideri uolebant, poëtarum deum dixerint. Quid enim illi temulento deo, cum poëtis musarum uirginum coloribus? A. Quæstio, ita me Bacchus amet, poculis digna, uerum quorsum tuæ quæstiones spectent, satis intelligo. Ch. Quorsum amabo? A. Astute de uino disputationem inijcis Gallica technâ, quam didicisse Parisijs te suspicor. Nimirum quo minus interim absumatur uini. Abi, uirum te iudico, non frustra in tanta schola uersatus es. Ch. Accipio tua dicta: referam paria scommata, ubi erit commodum. Sed ad rem. A. Dissoluam ubi bibero. Siquidem absurdum fuerit sicco palato, de quæstione uinosa disputare. Præbibo tibi Christiane. Propino tibi hunc scyphum dimidiatum. Ch. Accipio abs te libenter. Sit saluti, prosit. A. Iam accingor, ut me missum facias. Ego meo

more præpostere faciam. Quod Baccho puerilæ effigiem tribuerint, id habet mysterij, quod uinum potũ curas, & solliciudines animis nostris eximit, hilaritatemq; quandam induat. Quare senibus quoq; ipsis iuuentam quandam reddere uidetur, dum & hilariores facit & formosiores. Id quod Horatius cum multis in locis, tum præcipue his uersibus aperte testatur:

Ad mare cum ueni, generosum & lene requiro:
Quod curas abigat, quod cum spe diuite mánet
In uenas animumq; meum, quod uerba ministret:
Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ.

Nam quod huic poëtas dicarunt deo, id significatum uoluisse suspicor, quod uinum & ingenium excitat, & facundiam ministrat, quæ duo poëtæ sunt aptissima. Vnde frigent carmina, quæ scribuntur aquæ potoribus. Est quidem igneus suapte natura Bacchus, sed adhibitis nymphis redditur temperatior. Habes quod quærebas. Ch. Nihil unquam audiui ueri similius dicã ab hoïe poëta, dignus es qui bibas gemma. Heus puer, tolle hãc patinã, atq; appone cætera. A. Puerum habes admodum inurbanum. Ch. Est ueterator nequissimus. A. Cur non instituis alio pacto? Ch. Difficile est anem uetulum loris assuescere. Difficillimum est, ueteratoris mutare mores. Vetulus anis non facile assuescit loro. Me quidem dignus est. Dignum patella operculum.

SI COGNOSCEREM QVID
te oblectet, tibi seruirem. formula.

A. Deœrperem tibi quippiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi, si quid potissimum iuuaret, scirem. Si nossem ingenium palati tui, essem tibi structor. Equidem tantundem palato, quantum animo sapio.

Ch. Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius, nec eo te puto inferiorem, de cuius singulari peritia testatur Satyricus:

Ostrea callebat primo deprehendere morsu,
Et semel aspecti dicebat litus echini.

A. Et tu mihi Christiane, ut par pari referam, ipsum audiisse Epicurum, aut in schola Catiana institutus uideris. Quid enim tua gula, aut sapientius, aut fastidiosius? Ch. Si oratoriam æque artem, ut culinariam callerem, nec Cicero ipse me uinceret. A. Equidem si alterutra carendum esset, culinariam quàm rhetoricam mallem. Ch. Subscribo tuo iudicio, grauiter acute, uereq; iudicas. Quid enim oratorum confert loquacitas, nisi quod aures odiosas inani uoluptate demulcet? Culinaria tum palatum, tum uentrem, tum totum hominem, quantus est, pascit ac reficit. Concedat laurea linguæ, inquit Cicero, at utraq; cõcedatur culinæ. Nunquam mihi Stoici illi magnopere placuerunt, qui omnia ad suum nescio quod, honestum referentes,

cutis ac palati nullam rationem habendam putant. Dia non potest quanto Diogene sapientior Aristippus mihi fuisse uidetur. A. Ego Stoicos cum suis ieiunijs contemno. Epicurum magis laudo ac probo, q̃ Diogenem illum Cynicum, qui crudis oleribus, ac simplici aqua uictitabat. Quare nihil miror si Alexander rex fortunatissimus se Alexandrum q̃ Diogenem esse malut. Ch. Nec ego sanè quamlibet uilis homuncio cũ Diogene meam philosophiam commutarem, fortassis & Catius tuus facere recusaret. Melius nostri temporis Philosophi sentiunt, qui contenti Stoicorum more disputare, uiuendo ipsum etiam Epicurum uincunt. At ego quidem rem in primis præclaram philosophiam puto si parce adhibeatur. Nimium philosopharinon laudo. Est enim res perquam ieiuna, sterilis atq; tristis. Vbi in calamitatem aut ægritudinem incidi, tum demum ad philosophiam, tanquam ad medicam confugio. Vbi conualui, rursum illi uale renuncio. A. Tuam rationem probo. Belle philosopharis. Salue igitur philosophe, non è Stoa, sed è culina. CH. Quid tandem habes Erasmi, quod parum sis hilaris? Quid sibi uult corrugata frons? quid silentium? An mihi succensis, quod te frugaliore cœna excœperim? Er. Imò tibi sum iratus, quod tantum impendij mea causa sit factum. Interminatus erat Augustinus, ne sua causa diem festum faceres, uis nos posthac

redire nunq̃. Nam talẽ cœnam dare solent ij, q̃ unam duntaxat dare constituissent. Quos tandem conuiuas uideris accepisse? Non amicalis, sed satrapis cœnam parasse uideris. An nos heluones esse credis? Hoc non est dare cœnam, sed triduanã saturitatem. Ch. Etiã tu pergis esse Demea. Cras ut lubet disputa, hodie Mittonem te præbeas, oro. De impendio cras sobrij disputabimus, nunc nil nisi meras nugas audire libet. A. Christiane, utrum de bubulis an de ouillis carnibus mauis? Ch. Bubulis quidem magis delector, at ouillas magis salutares arbitror. Ita ingenium est hominum, ut pernaosissima quæq; appetant uehementissime. A. Galli suillas carnes mirum in modum amant. Ch. Galli amant quæ paruo constant. A. Hac una in re Iudæus sum. Nam nihil æquæ odi atq; carnes suillas. Ch. Nec iniuria. Quid enim insalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, sed cum Iudæis sentio. Er. At ego ouillas pariter amo, ut suillas, sed diuersa ratione. Nam ouillis, quod amem libenter uescor. Suillas præ amore non attingo, ne quid offendam. Ch. Bellus homo es Erasmi ac festiuus. Equidem mirari mecum sæpe soleo, unde tanta in palatis humanis diuersitas. Nam ut Horatiano carmine Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidẽtur (utar. Posœntes uario multum diuersa palato.

Er. Quanquam, ut ait Comicus, quot homines tot

ſententiæ, & ſuus cuiq; mos: tamen nemo me adduxerit, ut credam plus ingenijs ineſſe uarietatis quàm palatis. Ita uix duos reperias, quos eadem iuuent. Permultos uidi, qui butyri ac caſei ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauſeæ ſint. Aluus elixis aluus aßis abſtinet. Multi aquam uino præferunt. Et quod incredibile eſt, uidi hominem, qui nec pane, nec uino uteretur. Ch. Et quibus tandem miſer ille uictitabat? Quibus ueſcebatur? Er. Cæterorum nihil faſtidiebat, non carnes, non piſces, non olera, non poma. Ch. Vis ut iſtud tibi credam? Er. Si lubet. Ch. Credo, at ea lege, ut uiaßum mihi mentienti fidē ſis habiturus. Er. Age faciam, modo uereaunde mentiaris. Ch. Quaſi uero ſit quicquam tuo commento impudentius. Er. Quid dicet frons tua, ſi hominem tibi commonſtrem? Ch. Macilentum quempiam ac monogrammum eſſe oportet. E. Imò diceres athletam. Ch. Polyphemum potius. E. Hoc tibi mirum uideri demiror, quum multi ſint quibus piſces uento durati, ſint panis loco. Nonnullis hoc præſtent herbarum radices, quod nobis panis. Ch. Credo, ſed perge mentiri. E. Quendam in Italia, quū illic agerem, uidere memini, qui nullo neq; cibo, neq; potū adiutus ſomno ſaginabatur. Ch. Vt nihil pudet. Non poßum illud Satyricum nō dicere: Tunc in menſa cani ſpirant mendacia folles. Tu poëtaris. Tu

nunc poëtam agis. Nam mentiris dicere, mihi religio est. E. Mentiar, si non Plinius autor ærtißimus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno mirum in modum saginari, quo tamen ita altè premitur, ut ne uulneribus quidem queat excitari. Imò quo magis mireris, addam quod Theophrastus scribit, per id tempus ursorum carnes coctas quoq; si asseruentur, reuiuiscere. Ch. Vereor ne Parmeno ille Terentianus ista non contineat. Mihi fiale fidem facis. Ministrarem tibi de æruinis carnibus, si satis essem urbanus. E. Vnde tibi nunc uenatio? Vnde ferina? Ch. Midas homo hominum, qui uiuunt liberalißimus, nostriq; amantißimus, mihi misit dono. Dono quidem, sed sic ut ego minoris emam sæpenumero. E. Qui sic? Ch. Quia famulis plus dandum quàm daretur in macello uendenti. E. Quæres cogit hoc facere? Ch. Tyrannus omnium uiolentißimus. E. Quis iste? Ch. Mos. E. Profecto tyrannus iste frequenter iniquißimas leges obtrudit mortalibus. Ch. Idem suo more nuduster tius hunc æruum uenatus est. Quid tu, qui soleas istius studij esse amantißimus. A. Equidem hoc studio planè relicto, iam præter literas nihil uenor. Ch. At mihi uidentur literæ quouis æruo fugadores. A. Duobus tamen potißimum canibus assequimur, admiratione salicet, atq; improbitate labo-

ris. Nam & admirari plurimum discendi ardorẽ minis trat, & ut facundissimus poëta scripsit: Labor omnia uincit improbus. Ch. Amanter admones Augustine, ut soles: propterea non desistam, non conquiescam, nõ defatigabor, donec consequar. A. Carnes æruinæ sunt nunc admodum tempestiuæ. Meminit Plinius de hoc animante quiddam admirabile. Ch. Quidnam obsecro? A. Quoties arrexere aures, ærrimi esse auditus, at contra cum remisere, surdos. Ch. Istud ipsum mihi sæpenumero euenit. Nam si quando fiat sermo de reäpiendis aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pamphilo illo Terentiano aures arrigo: ubi de numerando uerba fiunt, illic remitto. A. Laudo te. Facis ut te decet. Ch. Vis de his leporinis clunibus? A. Tibi sumito. Ch. An de tergo mauis? A. Hoc animal præter ilia & clunes nihil habet appetendum. Ch. Vidisti ne unq̃ leporẽ candidum? A. Sæpenumero. Plinius in alpibus cãdidos reperiri scribit, quibus hybernis mẽsibus nuem pro ãbatu esse sit creditum. An uerũ sit, Plinius ipse uiderit. Quod si leporis autem candidã reddit nux, stomachum habeat candidũ, necesse est. Ch. Mihi ueri simile non fit. A. Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non inauditum. Idẽ utranq; uim singulis inesse testatur maris & fœminæ, ac fœmellas sine mare æque gignere. Istud ipsum multi asseuerant præsertim uenandi studiosi.

Ch. Est ita ut dicis. Sed hos anicalos, si placet, ten
temus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem
illi nymphæ, si propius assiderem. Augustine istius tibi
uianæ auram age, si libet, calles enim quo gestu sit minis
strandum istis Veneribus. A. Teneo quid dicas nu
sute. Ch. Quid te anserinæ carnes delectant?
A. Me quidem non mediocriter iuuant, ut sum mihi
me fastidiosus. At hic anser, nescio quo pacto nihil me
iuuat; nihil enim in uita uidi siccius. Siccior est pumi
ce, aut etiã nouerca Furij illius, in quem Catullus mul-
tum iocatur. Ligneus mihi uidetur. Et me hercule, quan
tum suspicor, ueteranus miles immodicis excubijs sese
macerauit. Aiunt enim anserem inter omnia animalia
longe esse uigilantissimum. Et profecto nisi coniectura
fallor, hic anser ex eorum numero est, qui canibus una
cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim capi
tolium defenderunt. Ch. Verisimile (ita me deus
amet) dicis: nam ex eo seculo relictum arbitror.
A. Hæc quoq; gallina, aut parcum saginatorem ha
buit, aut amauit, aut certe zelotypa uixit, quo quidem
morbo hoc animantis genus maxime laborat. Hic ca
pus longe melius pinguit. Vide auræ qd faciant. Quod
si ex Theodorico nostro gallo faceremus capum, mul-
to citius pinguesceret. Theod. Non sum gallus.
A. Fateor, non es gallus Cybeles, neq; gallus gallina-
ceus, at forte gallus gallicus. CHR. Quid hoc

uerbi est? AVG. Hoc ænigma tibi coniectandum relinquo. Ego Sphingem præstiti, tu Oedipus esto.

CHRISTIA. Dic mihi bona fide Augustine, nulla tibi cum Gallis unquam fuit necessitudo? Nihil ne affinitatis tibi cum Gallis contraxisti? Nullum fuit commercium? A. Nihil, nihil sanè. Ch. Tanto es nequior. Sed cum gallabus nonnihil. Ch. Libet ne de iecore anserino, quod apud ueteres in delitijs cũ primis habebatur. A. Non sum reiecturus quod à tua manu uenerit. Ch. Non est quod expectes Romanas delitias. A. Quas? Ch. Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos, boletos, tubera. A. Istis omnibus ego uel rapam præferam. Libera lis es, benignus es Christiane. Ch. Has perdices nemo attingit, ne columbos quidem. Cras est dies ieunij ab ecclesia indicti, aduersus hanc esuriem munite uos. Onerate saburra nauim aduersus imminentem tempestatem. Bellum instat, instruite uentrem commeatu. A. Vtinam istuc uerbi tacuisses. Hilariores surrexissemus à cœna. Miseros nos reddis ante tempus. Ch. Quid ita? A. Quia minus anguem odi q̃ pisces. Ch. At non tu solus. A. Quis hoc tædij nobis inuexit? Ch. Quis commonstrauit aloen, absynthium, & sammoniũ dare in remedijs? A. Sed ista dantur ægrotis. Ch. Sic hæc dantur numum recte ualentibus. Aliquando præstat ægrotare, q̃ plus sa

tis uelere. A. At mihi uidetur minus oneris olim impositum Iudæis. Equidem ab anguillis & porcis facile temperarim, modo liceat cæpis & perdicibus expleri. Ch. In pleriſq; non res, ſed animus nos diſcernit à Iudæis. Illi manum abſtinebant à cærtis cibis, uelut ab immundis, & animum inquinaturis. Nos quum intelligamus oĩa munda eſſe mundis, tamen carni laſciuienti, uelut equo feroçienti pabulum ſubduçimus, quo magis dicto ſit audiens ſpiritui. Nonnunq; immoderatum ſuauium rerum uſum abſtinentiæ moleſtia caſtigamus. A. Audio, ſed eadem opera defendi poſſet carnaſtio præputij. Moderatur & illa coitus prurtum & cruçiatum adfert. Si omnes itidem abhorrerẽt à piſcibus atq; ego, uix à parricida tam atrox ſupplicium exigerem. Ch. Quorundam palato gratior eſt piſcium quàm carnium eſus. A. Congruunt igitur his, q gulæ ſeruiunt non ualetudini. Ch. Equidem audiui quondam apud Aeſopos & Apiçios prægpuum luxum in piſcibus fuiſſe. A. Qui conueniunt igitur delitiæ cum ſuppliçio? Ch. Non omnibus ſunt murenæ, aut ſcari, aut açipenſeres.

A. Ergo tenues ſoli diſcruçiantur, quibus ſatis male eſt, etiam quum ueſci liçet carnibus. Fit enim nõ raro, ut quum liçet ueſci per eccleſiam, non liçeat per cruçenam. Ch. Durum me hercle interdictum.

A. Quod ſi interdictus carnium eſus diutinus uerti

tur in delitias, & si pauperibus sæpe non licet uesci carnibus, etiam quum licet, ac ne piscibus quidem, qui ferè carius emuntur, an igitur bono erit interdictum?

Ch. Omnibus, nam tenuibus cochleis aut ranis licebit uesci, aut æpam porrúmue arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsonijs. Quod si qui diuites deliciabuntur hac occasione, suæ gulæ imputent, non inausent ecclesiæ constitutionem.

A. Pulchre dixti. Sed interim à tenuibus, qui summis sudoribus alunt familiam, & procul absunt ab amnibus ac lacubus, exigere carnium abstinentiam, est indicere famem, aut βολιμίαν magis. Atqui si quid Homero credimus, longe miserrimum mortis genus est, perire fame.

Ch. Sic uisum est Homero cæco, at apud Christianos miser non est, qui bene moritur.

A. Esto sanè. Sed tamen durum est à quoquam exigere ut moriatur.

Ch. Nec hoc animo pontifices interdixunt esum carnũ, ut intereant homines, sed ut uel affligantur moderatè, si deliquerunt, uel subducto lætiore pabulo, corpora minus ferociant aduersus spiritum.

A. Istuc ipsum effiaet moderatus carnium esus.

Ch. Sed in tanta corporum uarietate, certus carnium modus præscribi non põt, ubi genus potest.

A. Sũt & pisces, qui multum addant alimẽti, sunt carnes, quæ minimum.

Ch. Sed in genere plus alunt carnes.

A. Age dic mihi, si quo tibi foret iter, utrum malles

equum alacriorem ac ſublaſcuum, an morbidum, q ſubinde collabens ſeſſorem deijcat in terram? Ch. Quorſum iſtud? A. Quia piſcium eſus corruptis humoribus, corpora noſtra reddit magnis morbis obnoxia, ut iam ſpiritui non poſſint ſubſeruire. Ch Quibus morbis? A. Podagræ, febri, lepræ, morbo regio. Ch. Qui ſcis? A. Credo medicis, id malim quàm experiri. Ch. Id fortaſsis in paucis accidit. A. Equidem arbitror in pluribus. Porrò quo nũ animus agit per organa materialia corporis, quæ malis aut bonis honoribus affiãuntur, uiciatis inſtrumentis, non poteſt ut uult exerere uim ſuam. Ch. Sãe medicis magnopere damnatum eſſe piſcium eſum, ſed ſecus uiſum eſt maioribus noſtris, quibus obtemperare religioſum eſt. A. Religioſum erat uolim non uiolare ſabbatum, ſed prius erat ſeruare hominem ſabbato. Ch. Suæ quiſq; ſaluti conſulat. A. Imò ſi Paulo uolumus auſcultare. Nemo quæ ſua ſunt quærat, ſed quiſq; quæ alterius. Ch. Sed unde nobis hic nouus theologus in conuiuio? Vnde nouus hic ac ſubitus magiſter noſter? A. Quia mihi male conuenit cum piſcibus. Ch. Quid igitur? An non abſtines à carnibus? A. Abſtineo, ſed obmurmurans, nec ſine meo magno malo. Ch. Charitas omnia ſuffert. A. Verum, ſed eadem quàm minimum exigit. Si ſuffert omnia, quur non ferunt nos hi

ueſã ãbis

uesa abis, quos indulsit libertas Euangelica? Quam hi à quibus Christus toties orarem sui stipulatus est, patiuntur tot hominum & corpora periclitari morbis capitalibus, & animas æternæ damnationis periculo, ob rem nec interdictam à Christo, nec per se necessariam. Ch. Vbi aliud suadet necessitas, cessat humanæ constitutionis uigor, cessat & uoluntas nomothetæ. A. At non cessat offendiculum infirmorum. Non cessat scrupulus meticulosæ conscientiæ. Postremo non satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An quum cœperit ichthyophagus agere anumã? Sero morienti porriguntur carnes. An quum totum corpus habet epulus? Non tanti erat aborum delectus. Ch. Quid igitur tu uelles præscribi?

A. Sào si quis mihi credat ecclesiasticæ rei dictaturam. Ch. Quid isthuc uerbi est? A. Si summus essemus pontifex, hortarer omnes ad perpetuam uitæ sobrietatem, sed præcipue sub diem festum. Cæterum ius facerem cuiq; uescendi quibus uellet pro corporis salubritate, dum moderate & cum gratiarum actione. Daremq; operam, uti hoc quod detraheretur obseruationibus huiusmodi carnalibus, accresceret ad studium ueræ pietatis. Ch. Nimirum istud mea quidem sententia tanti est, ut te facamus pontificem. A. Rides, sed tamen æruix hæc sufficeret uel triplicì coronæ sustinendæ. Ch. At interim

uide, ne ista scribãtur inter articulos Parisiensium.

A. Imò quicquid dictum est, scribetur in uino sicut par est dicta inter pocula. Sed satis iam Theologiæ in conuiuio. In cœna sumus non in Sorbona.

Ch. Quid uetat dicì Sorbonam, ubi bene sorbetur? A. Sorbeamus igitur non disputemus, ut nobis à sorbis dicatur sorbona, non à sorbendo.

Ch. Agite hospites humanissimi, quæso ut cœnulam nostram liceat tenuem æqui bonúq; consulatis. Præbete uos hilares ac lubentes, quanquam conuiuium tenue sit & frugale, ego uestra facilitate fretus, familiariter uos uocare sum ausus. Et est sanè uester mihi aduentus conspectusq; non modo gratissimus, uerum etiam uocandissimus. Conuiuæ. Cœna tua Christiane optime, multis modis elegans lautaq; nobis uidetur, quod excusas id unum habet accusandum. Nam magnificentior fuit, quàm sat est. Siquidem hoc conuiuium opiparum in primis, ac lautum iudicarim, quod primum simplicibus epulis, deinde liberalitate, risu, iocis, salibus sit conditum, quæ omnia nostro conuiuio non defuerunt. Verum conuiuarum de numero hic mihi quiddam in mentem uenit, quos neq; pauciores tribus neq; plures nouem esse oportere scripsit Varro. Tres enim sunt Charites, id est, Gratiæ, humanitatis ac beneuolentiæ præsides, & nouem sunt Musæ honestiorum studiorum ducæ. At hic decem conuiuas esse ui-

deo, uirginibus exceptis. A. Nihil conuenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulo sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas, tanquam tres Charites adhibuimus. Deinde quia à nouem Musarum choro Apollo abesse nunquam credendus est, iure deamum adeamus conuiuam. Ch. Poëticæ dixisti. Si mihi laurus adesset, laurea corona caput tuũ cingerem, fieresq; poëta laureatus. A. Si malua coronatus essem, maluatus. Tantum honoris mihi non arrogo. Honor hic maior est, quàm ut mihi conueniat. Haud equidem tali me dignor honore. Ch. Vultis ne singuli tantundem mea causa facere, quantum uestra sum facturus? Conuiuæ. Volumus, ac libentes quidem. Ch. Ebibetis igitur ordine suum quisq; caliœm. A me exemplum capietis. Tibi hoc primũ propino Mida. MIDAS. Accipio abs te libenter.

¶ Pro quo uulgus præstolor dicit. Equidem non recuso. Nihil tua causa recusabo. Ch. Tu deinde cæteris propina. MIDAS. Erasmi præbibo tibi dimidiatam paterам. Eras. Precor ut sit tibi bono. Sit tibi bonum atq; commodum. Prosit tibi.

¶ Prosiãt durius dicitur. Ch. Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? Defeat nos uinum. Vbi sunt oculi tui furãfer? Vola, adfer eiusdem generis sextarios duos. PVER. Erasmi, salue, quidam foribus te conuentum expetit. Er. Quisnam est?

Pu. Mori famulum se dicit, herum eius ex Britannia aduenisse, cupere ut se uisas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. Er. Christiane subducatur ratio, nam mihi quidem abeundum.

Ch. Rationem Erasmi doctissime huius cœnæ ego conficero. Non est quod calculum frustra teras, gratiam habeo, qui dignatus sis nostro adesse conuiuio. Sed auocari te molestum est, nondum peracta fabula. Er. Quid superest, nisi ut dicam ualete & plaudite? Ch. Age boni consulemus, quando tu non ab equo ad asinos, sed ab amicis ad amicissimos properas. Er. Ego pariter tibi gratias ago, quod pro tua humanitate ad hoc conuiuium longe suauissimum me uocaris. Valete sodales optimi. Bibite non segniter, & uiuite suauiter. Ch. Heus Dromo. Sedetis iam dudum odiosi omnes. Libet ne cuiquam quicquam amplius? Conuiuæ. Nihil omnino. Strenue munus nostrum administrauimus. Ch. Tolle igitur hæc, ac bellaria appone. Muta quadrulas atq; orbes. Tolle altrum meum, qui humi decidit. Pira uino perfunde. Adsunt mora præcoqua etiam domi nostræ nata. Conuiuæ. Tanto erunt suauiora quod uernacula. Ch. En pruna cerea, en Damascena, rarum apud nos spectaculum. En mitia mala. En mali nouum genus, cuius matrem ego hisce manibus conseui. Nuces castaneæ, omne delitiarum, quas horti nostri beni-

gne effundunt genus. A. Sed floſculi deſunt. Ch. Iſti Gallia ſunt apparatus, qui magnificentiam eam potiſſimum amant, quæ minimo conſtet. Nobis nō eſt ea mens, aut ingenium. Sed heus tu Auguſtine, num tu credis te hic immunem bibiſſe? Ego ne te meis immunem tingam poculis? At interim propinatori tuo dimidium ſcyphi debes. A. Is iamdudum me miſſum faciat. Is mihi huius debiti gratiam feat. Ch. Vnde ille ſibi uindicat tantum autoritatis? Vix Romanus pontifex hoc uinculi relaxet. Noſti priſcam conuiuiorum legem, ἢ πίθι ἢ ἄπιθι. A. Remittendi iuſſiurandi ius habet is, cui factum eſt, & cuius intererat ſeruari. Ch. Sed omnium conuiuarum intereſt, ſeruari leges inuiolabiles. A. Age quando hæc eſt Germanorum religio, exorbebo quod reliquum eſt. Sed quid tibi rei mecum eſt? Ch. Impendium reddas oportet, unus nomine omnium. Quid expalluiſti? Ne uerere, perfacile poteris. Fac quod ſæpe feciſti, ut aliqua elegantia doctiores à cœna ſurgamus. Neq; enim clam te eſt, ueteres illos in ſecundis menſis hilariora quædam diſputare ſolitos. Age igitur, quibus & quot modis hæc oratio poteſt enunciari: Indignum auditu.

INDIGNVM AVDITV. FOR.

A. Dixti pulchre per poſterius ſupinum. Audiri

minimè est dignum. Indignum est audiri. Haud dignum est, quod audiatur. Est ut audiatur indignum. Leuius est, quàm quod audiri debeat. Vix operæpretium est referre. Non tanti est, ut audiatur. Ineptius est, quàm quod audiatur. Non est operæpretium narrare. Ch. Quot modis hæc sententia uerti potest?

VARIANDI RATIO HANC orationem, magno mihi constat.

A. His uerbis impendo, insumo, impertio, constat. Vt, multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum ea in re operæ insumpsi. Non minus pecuniæ quàm curæ in eam rem impendi. Non parum insumpsi pecuniæ, temporis permultum, laboris plurimum, ingenij nonnihil. Multum lucubrationis impendi. Multis uigilijs hæc res mihi cõstat, multo sudore, multa opera, plurimo labore, sumptu ingenti, pecunia magna. Pluris mihi constat, quàm credas. Minoris mihi constat uxor, quàm equus meus. Ch. At quid sibi uult Augustine, quod uerbo isti constat, modo ablatiuum, modo genitiuum casum apponis?

AVGV. Quæstionem perutilem, ac late patentem mouisti. Verum ne conuiuas loquacitate mea premam, paucissimis absoluam. Sed cupio singulorum hac de re audire sententiam, ne cuiquam (ut dixi) sim molestus. Ch. Quid nu. cupiant idem uel puellæ?

A. Illæ sanè nihil aliud q̃ audient. Accingar igit̃, grammatica bene fortunante. Scis uerba emendi ac uendendi, aliaq; esse consimili significatu, quibus apponantur hi genitiui soli, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantiuis, quantiuncq;. At ita si substantiua non apponantur, quæ si accedant, utraq; in ablatiuum casum uertuntur. Quod si pretium certum apponatur, pones in ablatiuo. Si per adiectiuum, substantiuum in ablatiuo pones, nisi per aduerbia loqui malis. Ch. Quænam uerba sunt de quibus præcipis? A. Hæc ferè sunt, emo, mercor, redimo, id est, aut captum, aut perditum, uendo, uenundo, reuendo, id est rursus uendo, quod mihi uenditum erat. Veneo, id est, uendor, cuius præteritum uenui uel uenij, supinum uenum. Hinc uenalis: Ab illo, id est, uendo, uendibilis manat. Mercedo pro inseruio & stipendium facio. Comparo, id est, emo uel commutto. Commuto, muto, permuto. Cambire pentus barbarum in hoc sensu. Aestimo, taxo: indico pro æstimo, censeo. Liceor eris, liëtor aris, addico. Distrahor, id est, circũferor ut ueneam. Metior pro æstimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Conducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum. Pango, pepigi, id est, pactum facio. Ch. Da exemplum.

VENDENDI ET EMENDI FOR.

V. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Re-

ſpondebimus: Vigenis francis. Hui nemo locas. Imò locaui olim multo pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, peream. Imò iam uicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multo meliorem. Mentiris. Facio, ut ſolent qui liœntur. Tu ipſe tanti poſſide. Quid liœris uel liœtaris, cum nihil ſis empturus? Quantiuis addixeris, ſoluam optima fide.

ALTERVM EXEMPLVM

Congrum iſtum Syra quanti uendis? Decem obolis. Nimio turpiſſima. Imò minimo, nulla tibi uendet minoris. Emoriar ſi non tanti mihi conſtat, aut ex te non multo minoris. Mentiris uenefica, quoniam duplo uis uendere, aut triplo. Et œntuplo ſi queam, ſed fatuos non inuenio. Quid ſi liœter teipſam? Quanti æſtimas te? Vt lubet, quanti me liœris? Quanti indicas te? Dic, quanti te taxas? Quanti teipſam inſcribis? Decem ſeſtatis. Hui, tanti? Ebo, an tu minoris me æſtimas? Ego olim non ſemel, pluris in unam noctem ſum conducta. Credo, at nunc non paulo minoris æſtimo, quàm piſcem. Abi in malam rem ganeo, tantidem te æſtimo, quanti tu me. Quite teruntio emerit, nimio emerit. Aut pluris emar, aut non uendar. Si magno uenire cupis, larua tibi opus eſt, nam rugæ iſtæ non ſinunt, ut cariùs uendaris. Ei

qui tanti me nolit, non sum uenalis. Ego ne calmo quidem te emero. Constitu pluris.

TERTIVM EXEMPLVM

Auctioni hodiernæ interfui. Ain' tu? Licitatus sum uectigalia. Quanti tandem? Decem milibus. Hui, tanti? Ne mireris, erant qui multo pluris hærentur, paucâ qui minoris. Cui tandem addicta sunt uectigalia? Chremeti, uxoris tuæ summo & maximo amico. Sed diuina quanti sunt addicta. Decem. Imò quindecim. Deus bone. Ego mihi hominem ipsum cum tota familia dimidio addictum nolim. At ille uxorem tuam duplo emptam cupit. Animaduertisti ne in his orationibus, ubicũq; absit substantiuum precij, id in ablatiuo poni, cæteris aut in genitiuo positis, aut in aduerbium mutatis? Comparatiuum nunquam audisti sine substantiuis: exceptis illis duobus, pluris & minoris. Sunt & alia uerba, de quibus sumus loquuti, non admodum dissimilia: Sum, facio, habeo, duco, æstimo, pendo, quæ idẽ ferè significant: fio itidem. Iunguntur autem his ferè genitiuis, multi, parui, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, flocci, pili, nihili, nauci, huius, & si qua sunt his similia. Christianus. Da exempla.

A. Scis quanti te semper fecerim? Tanti fies apud homines, quanti uirtutem fades. Præceptores meos semper fea plurimi. Aurum hac tempestate magni penditur, litteræ nihili, siue pro nihilo ducuntur. Aurum minoris habeo, quàm credas. Tuas minas floccifacio. Promissa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti sapientia penderetur quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos fit aurum sine sapientia, quàm sapientia sine auro. Hoc pluris te habeo quod doctus sis. Minoris hic fies, quod mentiri minime calleas. Hic multi fiunt, qui nugrum in assidiū uertunt. Hoc mihi pluris es quod literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum possidebis. Tanti ubiq; habeberis, quantum habebis. Non quanti habearis, sed quanti sis interest. Tanti Christianum meum facio, quanti aliu̇m neminem. Inuenuntur & alia uerba cum his genitiuis & ablatiuis, quæ natura sua non significant emptionem, aut aliquid simile. Petrus osculum puellæ scitato emit. Sit illi faustum, nolim ego basiare tanti. Quanti luditis? Quanti cœnastis? Quosdam sexcentis sestertijs cœnasse legimus, at Galli sæpenumero Liardo cœnitant. Faustus quanti docet? Paruo. At pluris q̃ Deluus. Quanti igitur? Vndeuiginti aureis. Non discam mentiri tanti. Phædria apud Terentium & rem & seipsum perdidit. At nolim ego.

amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit q̃ alij loquebantur. Aequi bonique consulas oro. Est & aliud uerborum genus quæ accusatiuum unà cũ genituo aut ablatiuo casum exigunt, quæ sunt accuso, id est, obijcio crimen, aut culpo etiam absentem. Incuso, inculpo extra iudicium. Arguo, reprehendo. Insimulo, impingo suspicionem culpæ. Postulo, in ius uoco. Accerso, defero. Damno, condemno, pronuncio illum esse in culpa, admoneo, commonefacio. Ch. Exempli causa.

ACCVSANDI FORMVLA.

A. Sapio accusatus est ambitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ ipse impudentissimus. Lepidus postulatus est repetundarum. Accersitus est capitis. Si hominem insimulabis auaritiæ, male audies. Admone eum pristinæ fortunæ. Mortales ipso uocabulo suæ conditionis admonentur. Commonefacio Lepidum promissi. Sunt pleraq; quæ accusatiuum geminum admittant. Doceo te literas. Exorat te ueniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Hic eius rei mihi admonendus es, quod in his secundum accusatiuũ etiam passiua obtinent, in alijs genituus manet. A me doctus es literas. Postulant me furti, postulor furti. Accusas me sacrilegij. Accusor sacrilegij. Sao te nondum expletum. Sao animo tuo nondum esse satisfactum. Quando enim tantus elegantiarũ he-

luo ſatietur? Sed conuiuis parcendum eſt, quos hæc non omnes perinde delectant. A cœna, inter deambulandum, id quod rationi deerit, perſoluemus, niſi quid aliud cenſes. Ch. Fiat ex tua ſententia. Agamus gratias benignitati diuinæ, deinde paulliſper deambulaturi. Midas. Pulchre dicis. Nihil enim hoc ueſpertino cœlo amœnius, nihil ſalubrius. Ch. Petre adeſdum. Tolle ſuo quæq; ordine, ac unum cyathis infunde. P. Iubes ne agi gratias? Ch. Age. P. Græce mauis an Latine? Ch. Vtroq; modo. P. Gratias agimus tibi pater cœleſtis, qui tua ineffabili potentia condidiſti omnia, tua inſcrutabili ſapientia gubernas uniuerſa, tua inexhauſta bonitate cuncta paſcis ac uegetas, largere filijs tuis, ut aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promiſiſti ac præparaſti uere diligẽtibus te. Per Ieſum Chriſtum, Amen. Ch. Dic eadem Græce, ne cæteri quid dicas intelligant.

Εὐχαριστοῦμέν σοι πάτερ οὐράνιε, ὁ τῇ ἀῤῥήτῳ σοῦ δυνάμει κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῇ ἀνεξιχνιάστῳ σοῦ σοφίᾳ κυβερνῶν ἅπαξ ἅπαντα, ὁ τῇ ἀεὶ ἐκχεομένῃ σοῦ χρηστότητι, ἔκαστα τρεφόμενος τε καὶ αὐξόμενος, χαρίζου τοῖς ἰδίοις σοῦ, ὅ μετὰ σοῦ ποτε πιεῖν, ὅ τῆς ἀθανασίας γέκταρ, ὃ

ὑπάρχει ἑτοίμως σοῖς ἀληθῶς ἀποδεξαμένοις σε, ἀλλὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ σου, τοῦ κυρίου ἡμῶν, τοῦ μετὰ σοῦ ζῶντος καὶ βασιλεύοντος, ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἁγίου, εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν.

Ch. Habeo uobis hospites candidissimi gratiam, qui ad hoc conuiuiolum uenire dignati sitis. Oro æqui, bonique consulatis. Con. Nos uicissim gratias referre uolumus, non tantum habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius surgamus & expatiemur. A. Ducamus nobiscum uirgines, nam eo minus molesta erit deambulatio. Ch. Recte sentis. Vtrum mauis nostris in hortis more poëtico reptare, an foris ad amnem expatiari? A. Habent quidem horti tui amœnitatis permultum, uerum eam uoluptatem matutinis deambulationibus seruat. At sole inclinato, amnium aspectus oculos mirum in modum iuuat. Ch. Antœde igitur Augustine, ut poëta dignum est, ego latus tuum claudam. A. Bone deus quantum comitum, quantam pompam nobiscum ducimus. Dia non potest Christiane, quantum mihi placeam. Satrapes mihi uideor. Ch. Age nunc promissum præsta. Solue quod reœpisti. A. Quid me potissimum uis dicere? Ch. Ego quondam in Pollionis oratione cum multa, tum illud in primis solebam admirari, quod tam facile, tam cre

bro, tam uenuſte orationem uerteret, quæ res non mo-
do ſingularis ingenij, uerumetiam multi uſus mihi vi-
detur. AVG. Haud imuria iſtud in Pollione ad-
miratus es Chriſtiane. Ille enim tum hac in re diui-
nam quandam uim obtinet, quam quidem illi cum in-
genij dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi &
legendi & ſcribendi uſu contigiſſe opinor, potius q
ratione aliqua, aut præceptione. Ch. At ego ra
tionem aliquam iſtius rei ſi fieri poteſt expecto.
AVG. Ita ut dixi, res habet. Verum quia te tan
topere uideo uelle, quod potero morem geram,
eaſq; rationculas, quas in Pollionis orationibus mihi
uſus ſum animaduertere, ut potero, reddam.
Ch. Age percupio.

BREVIS DE COPIA PRAECEPTIO.

AVG. Accingor. Principio res ipſa puris, electis ac
Latinis uerbis efferenda eſt, quod ipſum poſſe, non
mediocris artificis eſt. Sunt enim permulti, qui
neſcio quo modo copiam & uarietatem orationis affe-
ctant, quum ne ſemel quidem rem poſſint apte expli-
care. Iſti tanquam ſemel balbutiſſe ſit parum, balbu-
tiem ſuam alijs atq; alijs modis reddunt balbiorem,
tãquam ipſi ſecum certamen ſuſceperint, ut quàm hæc

barißime dicã poßit, dicant. Itaq; inepti ſynonyma quædam congerunt, adeo interdum inter ſe diſſidentia, ut ipſa mirentur, quo pacto conuenerint. Quid enim abſurdius quàm hominem pannoſum, qui ne uncta quidem, quam ſine pudore poßit induere, ſit ueſtis, eum tamen ſubinde ſuos pannos mutare ac mendicitatem ſuam pro opibus oſtentare? At nihilominus ridiculi uidentur iſti uarietatis affectatores, qui quum barbare ſemel dixerint, repetunt idem multo barbarius, demum iterum atq; iterum indoctius. Hoc eſt, non oratione, ſed ſolœciſmis abundare. In primis igitur, ut dixi, res ipſa aptis atq; electis uerbis eſt explicanda. Deinde mutatorijs uerbis utendum, ſi qua, quæ idem effiaant, reperiantur. reperiuntur enim permulta. Demum ubi propria deſident, translaticijs erit utendum, ſi modo uereanda ſit translatio. Ea quoq; ubi deerunt, ſi per actiua dixiſti, ad paßiua reuertendum erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot exactius conſtabant. Poſtea uerba, ſi libebit, aut in nomina uerbalia, aut in participia commutabimus. Poſtremo, ubi modo aduerbia in nomina, modo nomina in alias, atq; alias partes cõmutauerimus percõtrarium dicemus: aut affirmatiuam orationem in negatiuam commutabimus, aut retrorſum, aut cærte, quod pronũciatiue dictum per interrogationem efferemus. Nunc exempli cauſa hanc ſententiam ſumamus.

LITERAE TVAE MAGNOPERE ME DELECTARVNT.

LITERAE TVAE.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literæ.

MAGNOPERE.

Mirum in modum, miris modis, maiorem in modum. Mirandum in modum, supra modum, plurimum, non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, Erasmum.

DELECTARVNT.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhilararunt, uoluptati fuerunt, oblectarunt, uoluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, iucundissimæ &c. Habes materiam, tuum erit componere. Experiamur igitur, faciamus periculum. Ch. Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirificè nos exhilarauit. AVG. Verte actiuum in passiuum, alia erit facies. Vt, dicà non possit, quàm tuis sim scriptis exhilaratus.

Item per alia uerba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cepi uoluptatem. Ex epistola cælitudinis tuæ plurimum uoluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt. Hic non ita lucret mutare in passiua, nisi in illo po-

strema

ſtremo, perfuſus gaudio, quod uſitatè diatur. Capiebatur à me uoluptas, allatum eſt gaudium, non perinde uſitatè dixeris.

PER AFFICIO.

Singulari uoluptate literæ tuæ me affecerunt.

MVTA IN PASSIVVM.

Tuis ſcriptis incredibili ſum affectus uoluptate. Non parum gaudiorum tuum nobis epiſtolium peperit.

PER SVM ET NOMINA ADIECTIVA.

Tuæ mihi literæ multis modis iucundiſsimæ fuerunt. Fuit tua illa epiſtola ſanè quàm gratiſsima.

PER NOMINA SVBSTANTIVA.

Ineffabili uoluptati tuæ nobis epiſtola fuit. Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

COMMVTA IN NEGATIONEM.

Tua ſcripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil iucundius tuis literis accidit. ¶ Quanquam hac ratione aliquoties iam uſi ſumus, quæ non eſt negligenter prætereunda. Nam quoties multum, plurimum, ſingulariter ſignificare uolumus, per contrarium uerbum idem efficimus. Vt, uehementer te amat Henricus. Haud uulgariter te amat. Multum me iu-

uat uinum, haud parum iuuat. Est uir singulari in genio. Est uir ingenio non uulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus. Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit. Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis. Non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quæ nunquam non usu uenunt. Sed admonuisse rem clarissimam satis est. ¶ Nec te lateat, bifariam nos huiusmodi orationum genere uti, modestiæ causa, præsertim si de nobis ipsis loquamur. Tum etiam amplificandi gratia. Nam non ingratum, pro ualde grato. Non uulgariter, pro singulariter, recte & uenuste dicamus.

MODESTIAE CAVSA.

Ego literis meis non nullam doctrinæ sum opinionem consequutus. Semper curaui, ut in literaria gloria nos postremas partes tenerem.

De amplificatione superiora sunt exempla, nunc ad nostra reuertamur.

Nihil tua epistola unquam euenit gratius. Nullam maiori unquàm uoluptati fuit, quàm tua scripta.

Nulla unquam ex re tantundem cepi uoluptatis, quantum ex tuis literis amantissimis.

Hoc modo singulæ orationes superiores poterunt uariari per interrogationem.

Quid tuis literis in uita iucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis euenit dulcius? Quid ita oblectauit unquam, ut proximæ tuæ literæ?

Hoc modo rursũ singulas ferè orõnes uariare licebit.

CHR. Quid deinde fiet?

AVG. Iam paulo liberius totã orationẽ uertemus, ut unam dictionem pluribus uerbis arcũloquamur.

CHR. Dic exempli causa.

AVG. Quod modo per nomen incredibile, modo per aduerbiũ incredibiliter dictum erit: unam dictionem aliquot uerbis commutabimus. Literis consequi nequeam, quantum tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ iucunditati tua mihi scripta fuerunt. Expliare prorsum nequeo, q̃ sim tuis literis gauisus.

Et item in infinitum.

Rursum alio pacto.

Nã hactenus & p negationẽ & p interrogationẽ, postremo p infinitas orationes uariauimus.

Nunc per subiunctiuas siue conditionales uariabimus hoc modo.

Moriar si unquam quicquam fuit tuis literis, aut optatius aut dulcius.

Pereã, si ulla res maiori uoluptati fuit, q̃ tuæ literæ. Ita me deus amet, ut nihil i uita tuis literis acidit iucũdius.

Et item alia multa in hunc modũ excogitare licebit.

CHR. *Quid deinde?*

AVG. *Nunc ad translationes, similitudines & exempla fugiendum est.*

TRANSLATIO EST IN HIS.

Acepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nul nisi meræ delitiæ tua mihi scripta uidentur. Mera uoluptas sunt tuæ literæ. Et huiusmodi plurima. Sed cauendum, ne obsoletis, aut durioribus translationibus utamur, quale est illud: Iupiter hybernas cana niue conspuit alpes. Et quale est illud: Cœna tuorum scriptorum me suauissimis epulis refeat.

COMPARATIO A SIMILI.

Tua scripta omni uel ambrosia uel nectare suauiora fuere. Literæ tuæ quouis melle mihi fuere dulciores. Epistola humanitatis tuæ & siliquam omnem, & mel Atticum & sacarum omne, nectar ambrosiamq; deorum longe superauit. Hic quicquid dulcedine nobilitatum est, in medium adduci potest.

AB EXEMPLO.

Nunquam adducar ut credam Hero Leandri suis literas, aut maiore uoluptate, aut pluribus osculis acepisse, quàm tuas acepi. Vix crediderim, aut Saptonem euersa Carthagine, aut Paulum Aemilium, capu-

Perſeo, magnificentiorem egiſſe triumphum, quàm ego, ſimul ac ſuauiſſima tua ſcripta tuus mihi tabellarius reddidit. Huiuſmodi ex fabulis, tum ex hiſtorijs infinita poſſunt inueniri. E phyſica uero ſumuntur rerum ſimilitudines, quarum quàm plurimarum naturas memoriter tenere neceſſe eſt. Nunc ſi libet in alia ſententia tentemus.

NVNQVAM DVM VIVAM, tui ero immemor.

Semper dum uiuam tui memnero.
Quoad uiuam, nunquam me tui capiet obliuio.
Prius uiuere deſinam, quàm tui meminiſſe.

PER COMPARATIONES.

Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit obliuiſci.
Tui memoriam, ne Lethæus quidem amnis poterit abolere.

PRAETEREA PER IMPOSSIBILE, AVT MORE POETICO PER CONTRARIA.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit.
Ante leues ergo &c. quæ non eſt multi negocij excogitare. Verum ne immodicè uideamur, his in præſentia contenti ſimus. Aliàs ſi uoles, copioſius hac

dere colloquemur. CHR. Ego te Augustine iam plane exhaustum putabam. Sed tu præter expectationem nouum thesaurum indicasti, quem si pergas explicare, nox ante occupauerit, quàm tibi eadem dere desint uerba. AVG. Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio præsto, quantum Ciceronem ipsum ualuisse credis, qui cum Rosáo histrione certasse legitur. Sed sol nos relinquit. Humescit cœlum, præstat imitari auiculas, tectóq; ac lecto nos condere. Proinde uale mi Christiane suauissime in crastinum.
CHR. Tu itidem bene ualeas Augustine omnium doctissime.

CONVIVIVM RELIGIOSVM.

Eusebius. Timotheus. Theophilus. Chrysoglottus. Vranus.

Eus. Quum omnia nunc uernent ac rideant in agris, demiror esse, qui fumosis urbibus delectentur.
T. Non omnes capiuntur aspectu florum aut pratorum uernantium, aut fontium amnúmue. Aut si capiuntur, est aliud quod magis iuuet. Ita uoluptas uoluptate, ueluti clauus clauo pellitur. E. Tu mihi fortasse fœneratores narras, aut his similimos negotiatores auaros. T. Istos quidem, sed non solos ô bone, imò cum his innumeros alios, usq; adipsos si

cerdotes ac monachos, qui ferè quæstus gratia malunt in urbibus, ijsq; frequentissimis uersari, dogma sequuti, non Pythagoricum, aut Platonicum, sed cæci cuiusquam mendicæ, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret illic esse quæstum, ubi esset populus. E. Valeant cæci, cum suo quæstu. Nos philosophi sumus. T. Et Socrates philosophus urbes præferebat agris, quod esset discendi cupidus, & urbes haberent unde disceret, in agris esse quidem arbores & hortos, fontes & amnes, qui pascerent oculos, cæterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. E. Est nonnihil quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquàm mea sententia non est mutarerum natura, sed undiquaq; loquax est, multáq; docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum ac docilem. Quid aliud clamitat illa tam amœna naturæ uernantis facies, quàm opificis dei sapientiam bonitati parem. Sed Socrates in eo secessu, quàm multa docet Phædrum suum, ac uiasim ab eo discit. T. Si tales adessent aliquot, nihil esse posset amœnius rusticatione. E. Libet igitur huius rei periculũ facere? Est mihi prædiolũ suburbanũ, nõ amplũ, sed nitide cultũ. Eò uos in crastinũ die ad prandiũ uoco. T. Plures sumus. Exederemus totũ prædiũ tuũ. E. Imò totũ conuiuiũ apponetur herbacæum, ex dapibus, ut inquit Flaccus, inemptis apparatũ. Vt-

num ipſe locus ſuppeditat. pepones, melones, ficos, pira, mala, nuces, ipſæ penè arbores porrigunt, quem admodum fit in inſulis fortunatis, ſi Lucano credimus. Accedet fortaſsis è corte gallina. T. Age, non recuſamus. E. At ſuam quiſq; umbram ſectum adducat quam uolet. Ita quum ſitis quatuor, æquabimus numerum muſarum. T. Fiet. E. Verum illud uos præmonitos uolo, ſibi quiſq; condimentum ſuum adferet. Ego ábos duntaxat apponam.

T. Quod condimentum narras, piper, an ſaccharum? E. Imò aliud uilius, ſed ſuauius.

T. Quodnam? E. Famem. Eam dabit hodie cœna tenuis, cras auget ſtomachum ambulatiuncula. Et hoc quoq; commodi ruſculo meo debebitur. Verum ad quam horam libet prandere? T. Ad decimam, priuſquam inualeſcat æſtus ſolis. E. Curabitur. Bonæ fidei eſt, quod uenſtis, ſed bis gratũ eſt, quod uenſtis mature unà cum umbris ueſtris longe gratiſſimis. Sunt enim quidam inauditer áuiles, qui conuiuam rem mora ſua torquent. T. Eò maturius uenimus ut eſſet oãum luſtrandi, uiſendiq; regiam iſtam tuam, quam audimus undiq; miris delitijs uariam, nuſquam non teſtari domini ſui ingenium. E. Regiam ſpectabitis tali dignam rege. Mihi certè nidulus eſt, quauis regia gratior. Et ſi regnat qui libere uiuit ex animis ſui ſententia, hic planè regno. Sed præſtat, opinor,

interim dum aulinæ præfecta parat holusculum, & adhuc moderatus est solis calor, uisere hortos nostros. T. Et alius præter hunc? Nam hic sanè mire cultus blandissimo aspectu statim ingredientes salutat, & comiter excipit. E. Hinc igitur decerpat sibi quisq; flosculos ac frondes aliquot, ne quid offendat domus pedor. Non idem odor æque gratus omnibus. Quare sibi quisq; deligat. Ne parcè. Nam quicquid hic nascitur pene publicum esse putor. Neq; enim unquàm clauditur ostium huius uestibuli, nisi noctu. T. En tibi in ostio Petrus. E. Hunc ego malo ianitorem quàm Merarios, Centauros, aliáq; portenta, quæ quidam pingunt in foribus suis T. Istuc homine Christiano dignus est. E. Nec mutum habeo ianitorem, tribus linguis alloquitur ingredientem. T. Quid loquitur? E. Quin ipse legis? T. Interuallum aliquanto longius est, q̃ ut prospectus oculorũ assequatur. E. En tibi perspiallum, quod te uel lynœum reddet. T. Latina uideo. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Matth. cap. ix. E. Nunc lege Græca. T. Græca uideo quidem. At illa non uident me. Quare lampadẽ hanc trado Theophilo, qui nunq̃ non cantillat Græca. Theμετανοήσατε, καὶ ἐπιστρέψατε. πρᾶξεων τῶν τρίτῳ. Chrysoglottus. Hebræa mihi sumam וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה׃. An uobis uidetur

incomis ianitor, qui statim monet, ut auertamur à uitijs & conuertamus nos ad studium pietatis. Deinde uitam non contingere ex opibus Mosaicis, sed per fidem euangelicam. Postremo seruandis Euãgelicis præceptis, iter esse ad immortalem uitam? T. Et ecce mox ad dextram ingressus ostendit saællum perq̃ elegans. In altari IESVS CHRISTVS sustiãens in cœlum ad patrem & spiritum sanctum illinc prospiãentes, atq; eodem dextram porrigens, læua uelut invitat, & allectat prætereuntem. E. Nec is eliminguis nos exãpit: uides latina. Ego sum uia, ueritas, & uita. Græca, Ἐγώ εἰμὶ ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή. Hebraæ לְכוּ בָנִים שִׁמְעוּ לִי יִרְאַת יְהוָה אֲלַמֶּדְכֶם׃ T. Læto numerum omine nos salutauit dominus Iesus. E. Sed ne uideamur inãniles, fortasis par est, ut illum resalutemus, precemurq̃; ut quando ex nobis ipsi nihil possumus, ille sua inæstimabili bonitate, non sinat nos unq̃ aberrare à uia salutis, sed abiectis umbris Iudaicis, & huius mundi præstigijs, per ueritatem Euangelicam perduat nos ad uitam æternam, hoc est, ipse per se trahat nos ad se. T. Aequissimum est, & ipsa loci species inuitat ad precandum. E. Multos hospites allicit huius horti amœnitas, sed ita ferè apud omnes inualuit consuetudo, ut nemo prætereat Iesum insalutatum. Hũc ego

uiæ fidißimi Priapi, aßtodem poßui: Non ßolum horti mei, ßed oĩm quæ poßideo, deniq; cõrpis pariter atq; animi. Adeßt ut uidetis fonticulus, ßaluberrimis aquis nõ inamœne ßatens, utcunq; repræßentãs unicũ illum fontem, q cœleßti latiæ refõillat oẽs laborãtes, & one ratos, & ad quẽ anhelat anima delaßßata malis huius mundi, nõ aliter q̃ iuxta pßalmißtam, Ceruus æßtuans ßiti, gußtatis ßerpentũ carnibus. Hunc gratis haurire liæt, qßquis ßitit. Nõnulli & religionis gratia ßeße aßperguntur. Quidã etiã bibunt, non ßitis ßed religionis caußa. Video uos inuitos auelli ab hoc loco. Sed interim horamonet, ut uißamus hunc cultiorem hortum, quem in quadrũ cingunt muri regiæ meæ. Si quid erit uißendum intus, à prandio ßpectabitis, quũ ßolis æßtus nos, ueluti cochleas, domi cõhibebit horis aliquot. T. Papæ Epicureos hortos mihi uidere uideor. E. Totus hic locus uoluptati dicatus eßt, ßed honeßtæ, paßcendis oculis, recreandis naribus, reficiẽdis animis. Nihil hic naßcitur præter odoratas herbas, nec eas quaslibet, ßed eximias duntaxat, unum quodq; genus ßuas habet areas. T. Nec herbæ mutæ ßunt apud te, quantum uideo. E. Probe dicis, alij domos habent opulentas, ego loquacißimam habeo, ne quando ßolus uideri poßim, id magis etiam dicæs ubi totam uideris. Vt herbæ ßunt uelut in turmas digeßtæ: Ita ßingulæ turmæ, ßingula habẽt uexilla, cũ inßcriptione. Velut Amaracus hic:

Abstine, inquit, sus, non tibi spiro. Quum enim sit suauissimæ fragrantiæ, sues tamen hoc odore uehementer offenduntur. Itidem singula genera suos habent titulos, aliquid indicantes, quod ad peculiarem eius herbæ uim pertinet. T. Nihil adhuc uidi hoc fonticulo festiuius, qui medius uelut arridet herbis omnibus, ac refrigerium polliætur aduersus æstum. Sed alueolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostendit oculis hominum, hinc atq; hinc æquis spatijs hortum dirimens, in quo sese utrinq; herbæ, uelut in speculo contemplari gestiunt, num marmoreus est?

Eus. Bona uerba, unde huc marmor? è contusis cæmentis factitium marmor est, coloris candor additus est incrustamento. Ti. Quo tandem sese condit, tam amabilis riuus? Eus. Vide inaulitatem humanam. Posteaquàm hic satis exhilarauit oculos nostros, proluit culinam, eiusq; sordes secum defert in cloacam. Ti. Crudele, ita me deus bene amet.

E. Crudele, ni & in hunc usum paraſſet æterni numinis benignitas. Tum crudeles sumus, quum fontem diuinæ scripturæ, longe hoc amœniorem, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum, conspurcamus uitijs nostris, prauisq; cupiditatibus, abutẽtes tam ineffabili dono dei. Nam hac aqua non abutimur, si partimur in uarios usus, in quos illam dedit is, qui nihil non affatim suppeditat usibus humanis. T. Ve-

rißima ſunt quæ narras, ſed quur tibi uirent etiam horti ſepta? E. Ne quid hic non uireat. Quidam rubra malunt, quod is color additus uirentibus, gratiam adiungat. Hic mihi magis arridet, ut eſt ſua auq; ſententia, etiam in hortis. Ti. Sed horti per ſe amœniſſimi, iucunditatem propemodum obſcurant ambulacra tria. E. In his uel ſtudeo, uel obambulo, ſolus aut cum amiculo confabulans, uel cibum capio, ſi uidetur. Ti. Columnæ paribus interuallis ſuſtinentes ædificium innitens, miraq; colorum uarietate blandientes, ſunt ne marmoreæ? E. Ex eodem marmore, quo factus eſt hic alueus. Ti. Lepida profecto impoſtura. Vel deieraſſem eſſe marmor. Euſ. Quare caue ne uel credas, uel deieres quicquam temere. Non raro fallit ſpecies. Quod opibus deeſt, arte ſaramus. T. Non tibi ſat erat hortus, tam nitidus, tam exultus, niſi pingeres inſuper dios hortos? Euſ. Non capiebat omnes herbarum ſpecies unus hortus. Præterea bis delectamur, quũ pictũ florẽ, cum uiuo decertantem uidemus, & in altero miramur artificium naturæ, in altero pictoris ingenium. In utroq; benignitatem dei, qui in uſum noſtrum largitur hæc omnia, nulla in re non mirabilis, pariter & amabilis. Poſtremo non ſemper uiret hortus, non ſemper uiuunt floſculi. Hic hortus etiam media bruma uiret, & adblanditur. Tim. At non

ſpirat. Euſ. Sed rurſum non eget cultura.
Tim. Tantum paſcit oculos.
Euſ. Verum, ſed hoc perpetuo faciat.
Tim. Habet ſuum & pictura ſenium.
Euſ. Habet, nobis tamen eſt uiuacior, & illi ferè gratiam addit ætas, quam nobis detrahit.
Tim. Vtinam hic uanus eſſes.
Euſ. In hoc ambulacro quod ſpectat occidentem, ſole fruor orientè, In hoc quod ſpectat orientem algeo interdum, In hoc quod ſpectat Auſtrum, ſed paret ad ſeptentrionem, recreor ab æſtu ſolis. Obambulabimus ſi uidetur, quo ſpectetis propius. En uernat ipſum etiam ſolum. Habent enim & teſſellæ colorum gratiam, & floſculis pictis adblãduntur. Hoc nemus quod uidetis hoc toto parietè depictum, exhibet mihi uarium ſpectaculum. Primum quot uidetis arbores, tot uidetis arborum genera, ſingulis ad naturam imaginem non peßime expreßis. Quot ærnitis aues, tot uidetis auium ſpecies, præcipue ſi quæ ſunt rariores, & inſigni requapiam nobiles. Nam anſeres, gallinas & anates quid attinet pingere? Inferne ſunt quadrupedum ſpecies, aut earum auium, quæ uiuunt humi more quadrupedum. Tim. Mira uarietas. Nec quicquàm eſt odoſum. Nihil eſt, quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, penè latitans ſub frondibus? E. Attiæ lo-

quitur Attica. σοφρόνει, inquit, οὐ πᾶσιν ἥμιν. Iubet nos consulto agere, quod non omnibus feliciter cedat, inconsulta temeritas. Hic aquila decerpit leporem, frustra obtestante scarabeo. Astat scarabeo Trochilus, & ipse capitalis inimicus aquilæ. Ti. Hæc hirundo quid gerit ore? E. Herbam Chelidonium. Nam hac restituit pullis exoculatis usum. Agnosatis herbæ figuram? Ti. Quodnam hoc nouum lacertæ genus? E. Non est lacerta, sed chamæleon. Ti. Est hic ille longo nomine celebratus chamæleon, beluam esse credidi leone maiorẽ, quem uinat etiam uocabulo. E. Hic est ille semper hians & semper ieiunus chamæleon. Hæc arbor est caprificus, apud quam solam sæuit, aliàs innoxius. Nam uenenũ habet, ne contẽnas hiantem bestiolã. Ti. At non mutat colorẽ. E. Verũ, quia nõ mutat locũ, ubi mutarit locum, uidebis & colorẽ alium. Ti. Quid hic sibi uult tibicen? E. Nónne uides in proximo camelum saltantem? Ti. Video nouũ spectaculũ, camelus ænedus est, & simius choraules. E. Sed his singulatim ac per otium contemplandis aliâs dabitur, uel totum triduũ. Nunc satis erit, ueluti per transennam uidisse. In hac regione depictum est ad naturam effigiem, quicqd est insignium herbarũ, quodq; iure nireruni. Hic uenena quantũuis præsentanea, tuto non solum spectantur, uerumetiam contrectantur.

Tim. En scorpius, rarum in hisce regionibus malum, sed frequens Italiæ. Quanquàm color mihi parum respondere uidetur in pictura. Eus. Qui sic? T. Quia magis nigrant apud Italos, iste palidior est. Eus. At non agnoscis herbam in cuius folium inàdit? Tim. Non satis. Eus. Nec mirum. Nec enim nascitur in hortis nostratibus. Aconitum est. Et ueneno tanta uis est, ut scorpius ad huius contactum stupescat pallescátq;, sesecq; uinci patiatur. Sed offensus ueneno, à ueneno petet remedium. Videtis in propinquo utrunq; genus hellebori. Si scorpius sese potuerit expliare à folio aconiti, & album hellaborum contingere, recipiet pristinum uigorem, diuersi ueneni contactu soluente corporem. Ti. Actum est igitur de isto scorpio. Nam is se nunquam explicabit ab aconiti folio. Etiam loquuntur hic scorpij? Eus. Et quidem Græce. Ti. Quid ait?

E. Εὑρε θεὸς δ'ὑμ ἀλιτρὸν. Hic præter herbas uidetis omne serpentium genus. En uobis basiliscus, oculis igneis, ipsis etiam nocentissimis uenenis formidabilis. T. Et is loquitur aliquid. Eus. Odérint, inquit, dum metuant. T. Planè regia uox. Eus. Imò nihil minus regum, sed tyrannica uox est. Hic pugnat lacerta cum uipera. Hic dipsas insidiatur tecta putamine oui Struthiocameli. Hic uidetis politam totam formicarum, ad quarum imitationem nos

uocat

uocat Hebræus ille sapiens, atq; etiam Flaccus noster. Hic uidetis formicas Indicas, quæ aurum egerunt ac seruant. T. Deum immortalem, cui posit obrepere tædũ, in hoc theatro uersanti. Eus. Aliás inquam, lubet uel ad satietatem usq; spectare. Nunc procul tantum spectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes, & maria, & in his quicquid est insignium pisium. Hic est Nilus, in quo Delphinum illum uidetis hominum amatorem, cum crocodilo depugnantem, quo non alius hostis homini capitalior. In ripis ac littoribus uidetis ea quæ sunt ἀμφίβια, ut cancri, phocæ, fiber. Hic est polypus captator, captus à concha. T. Quid loquitur? E. ἀέρῶ ἀέροῦμαι. Mire pictor fecit aquam pellucidam. Aut hoc erat illi fidendum, aut nobis opus erat alijs oculis. In proximo est alter polypus, summa æquoris aqua uelificans, liburnicarum gaudens imagine. Videtis torpedinem prostratam in harena concolori, quam hic tuto, uel manu contigeris. Sed alio properandum est. Hæc pascunt oculos, at uentrem non explent, properemus ad reliqua. Ti. Etiam ne amplius? E. Mox uidebitis quid nobis præbeat posticum. Hic uidetis hortum satis spatiosum, in duas diuisum partes, in altera est quicquid est herbarum esculentarum, in qua regnant uxor & familia mea. in altera, quicquid est medicarum, præsertim insignium. Ad lævam est pratum

liberum præter uirorem graminum nihil habens, ſeptum eſt ſepe perpetua, è ſpinis implexis contexta, Illic nonnunquam uel ambulo uel luſito cum ſodalibus. Ad dextram eſt pomarium, in quo quum erit odium, uidebitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo noſtro cœlo aſſueſcere. Ti. Papæ, næ tu uincis uel ipſum Alcinoum. Euſ. Hic auiarium eſt inconfinio adhærens ambulacro ſuperiori, quod uidebitis à prandio, uidebitis formas uarias, uariasq; linguas audietis. Nec minus uaria ſunt ingenia. Inter quaſdam cognatio eſt, & mutuus amor, inter nonnullas ſimultas irreconciliabilis. Sunt autem omnes adeo daures ac manſuetæ, ut ſi quando cœnem illic aperta feneſtra, deuolent in menſam abunq; uel è manibus capiant. Si quando ingredior in pontaculo, quem uidetis, fabulans cum amico, aſſident, auſcultant, inſident humeris aut brachijs, adeo dediderunt timere, quia ſentiunt neminem lædere. In extremo pomario apum regnum eſt. Nec illud ſanè ſpectaculum iucundum. In præſentia non ſinam uos amplius contemplari, quo ſit quod uos poſthac reuocet, tanquam ad nouum ſpectaculum. A prandio cætera uobis oſtendam. Puer. Vxor & famula clamitant correpti prandium. Euſ. Iubeto illas eſſe æquanimes. Nos iam accurremus. Lauemus amia, ut puris manibus & animis ad menſam accedamus. Etenim ſi ethnicis

quoq; religiosa erat mensa, quanto magis oportet esse sacram Christianis, quibus habet imaginem quandam illius sacrosancti conuiuij, quod dominus Iesus postremum egit cum suis discipulis. Et obid receptum est ablue re manus, ut si quid odij, luoris, aut turpitudinis aliud forsitan resideat in animo, id eijdat antequam accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori salubriores esse cibos, si sumantur animo defecato.

Tim. Istud uerissimum esse credimus.

Eus. Quoniam hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditum est, ut ab hymno cibum auspicaremur, nam id arbitror, quod frequenter in Euangelio legimus illum benedixisse, aut gratias egisse patri, priusquam cibum frangeret, & rursum hymno finiremus. Si uidetur recitabo uobis hymnum, quem diuus Chrysostomus miris laudibus prædicat in homilia quadam, dignatus etiam interpretari.

Tim. Imò ut uelis rogamus. Eus. Benedictus deus, qui me pascis à iuuentute mea. Qui cibum præbes omni carni, reple lætitia & gaudio corda nostra ut affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum sancto spiritu in omne æuum. Tim. Amen. Eus. Nunc accumbite, ac suam quisque umbram sibi adiungat. Catuaei tuæ debetur primus locus Timothee.

Ti. Verbo dignitatem uniuersam meam complexus es. Hoc solo nomine sum cæteris anteponendus. Eus. Cæterarum dotium æstimator est deus, nos ea sequimur quæ uidemus. Sophroni, adhære corpori tuo. Tu Theophile & Eulali, dextrum mensæ latus occupate. Chrysoglottus & Theodidactus occupabunt læuum. Vranius & Nephalius quod superest. Ego hunc angulum tuebor. Ti. Non patiemur, Hospiti debetur primus locus. Eus. Tota domus hæc mea est, simulq; uestra, quod si mihi permittitur ius in regno meo, is locus debetur hospiti, quemcunq; sibi delegerit. Nunc utinam Christus ille exhilarator omnũ, & sine quo nihil uere suaue est, dignetur huic nostro interesse conuiuio, suaq; præsentia exhilarare animos nostros. Tim. Spero dignabitur. Sed ubi sedebit? Iam omnibus locis occupatis? Eus. Vtinam ille se misceat omnibus, & patinis, & pocalis, ut nihil illum non sapiat, sed potissimum illabatur animis nostris. Id quo magis dignetur, & nos tanti hospitis reddamur capaciores, si molestum non est auscultabitis paululum è sacra lectione. Sed ita, ut interim nihilo segius admoueatis manus ouis & lactucis, si libet. Ti. Id faciemus libenter, sed auscultabimus libentius. Eus. Is mos mihi multis nominibus uidetur amplectendus, quod hac ratione uitentur inanes fabulæ, præbeaturq; materia confabulationis frugife-

ræ. Multum enim ab illis dissentio, qui putant non esse lætum conuiuium, nisi quod scatæat ineptis ac lasciuis fabulis, quod perstrepat obscœnis cantunculis. Vera hilaritas nascitur è pura sincera{q} conscientia, atq{q} hi sermones uere læti sunt, quos semper & dixisse iuuet, aut audisse, & semper delectet meminisse, nõ quorum mox pudeat, quiq{q} conscientiã pœnitudine discrucient. Tim. Vtinam ista tam perpenderemus omnes, quàm sunt uera. Euseb. Hæc præterquàm quod ærtam, & insignem habent utilitatem, etiam iucunda fiunt ubi uel mensem unum assueueris.

Tim. Nihil igitur consultius quàm optimis assuescere. Eus. Recta puer, distincte, & clare.

PVER. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu domini, quocunq{q} uoluerit, inclinabit illud. Omnis uia uiri recta sibi uidetur, appendit autem corda dominus, facere misericordiam & iudicium, magis placet domino quàm uictimæ. Eus. Sit hoc satis. Præstat enim pauca auide discere, quàm multa, cum tædio deuorare. Tim. Præstat sanè, sed non hic tantum. Plinius scripsit, officia Ciceronis nunquàm de manibus deponenda, & sunt sanè digna quæ cum ab omnibus, tum præsertim ab ijs qui destinati sunt administrandæ reip. ad uerbum ediscantur, mea quidem sententia, sed hunc prouerbiorum libellum, semper dignum arbitratus sum, qui semper nobis circunfera-

tur. Eus. Quoniam sæbam prandium fore dilu tum, & insipidum, idarco hanc procaui nobis con dituram. Tim. Nihil hic est non lautissimum, & tamen si nihil esset præter betas absq; pipere, uino & aceto, talis lecto condiret omnia. Eus. Mihi ta men plus adderet gratiæ, si quod audio penitus in telligam. Atq; utinam adesset aliquis uere theologus, qui ista non intelligeret solum, uerum etiam saperet. Nobis idiotis nefao an fas sit hisce de rebus confabula ri. Tim. Ego uero puto, uel nautis esse fas, mo do absit definendi temeritas. Fortasse & Christus qui polluctus est sese adfuturum, ubicunq; duo conuene rint de ipso tractantes, aspirabit nobis tam multis.

Eus. Quid si igitur partiamur inter nos nouem, tres sententias? Con. Non displicet, modo à con uiuatore inapiat ordo. Eus. Non detrectarem prouincam, sed uereor ne hic uos peius accipiam quàm ibis accipio. Age necubi uidear difficilis conui uator, omissis uarijs coniecturis, quæ in hunc locum congerunt interpretes. Mihi uidetur hic esse sensus mo ralis, alios mortales posse flecti monitis, increpatio nibus, legibus ac minis. Regis animum, quoniam nemi nem metuit, si repugnes magis iritari. Et idarco quo ties principes uehementer contendunt aliquid, suo ani mo relinquendos, non quod semper uelint optima, sed quod illorum stultitia malitiáue deus nonnun-

quàm abutatur ad emendandos eos, qui deliquerunt. Quemadmodũ uetuit resisti Nabuchodonosor, quod illius ministerio decreuisset castigare populum suum. Fortassis illud est quod ait Iob: Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. Atq; huc fortasse pertinet, quod ait Dauid deplorans peccatum suum: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Non quod reges non peccent ingenti populi malo, sed quod non habent hominem, cuius autoritate condemnentur, cum dei iudicium nemo, quamlibet potẽs, possit effugere. T. Non displicet interpretatio. Sed quid sibi uolunt diuisiones aquarum? Eus. Adhibita est similitudo, quæ rem explanat. Violenta res, & impotens est regis animus conatus, nec huc, aut illuc duci potest, sed impetu suo fertur, uelut œstro diuino peratus, quemadmodum mare sese spargit in terras, ac subinde cursum mutat, contemptis agris, ædificijs, & quicquid obstat. Aliubi se condit sub terras, cuius impetum si coneris inhibere, aut alio deflectere, nihil agas. Idem accidit in magnis fluminibus, ueluti fabulæ quoq; narrant de Acheloo. Minus autem mali capitur, si commode obsequundes, quàm si uiolenter repugnes. Tim. Nihil igitur remedij, aduersus malorum regum impotentiam? Eus. Fortasse primũ fuerit, leonẽ in ciuitatem non recipere. proximũ sic autoritate senatus, magistratuũ, ac ciuium moderari po

tentiam illius, ut non facile erumpat in tyrannidē. Sed omnium potissimum, dum adhuc puer est, & se primapem esse nescit, sanctis præceptis formare pectus illius. Prosunt & preces ac monita, sed blanda ac tempestiua. Extrema ancora est, uotis fatigare deum, ut regis animum inclinet ad ea, quæ Christiano rege digna sint. Ti. Quid ais idiota? Si baccalaureus essem theologiæ, minume puderet istius interpretationis. Eus. An uera sit nescio, mihi satis est quod sensus non sit impius, aut hæreticus. Morem gessi uoluntati uestræ. Nunc ut decet in conuuijs, utissim audire cupio. Tim. Si quid defertis his quoq; canis, mihi uidetur hoc dictum, & ad abstrusiorem sententiam accommodari posse. Eus. Credo & audire cupio. Tim. Rex intelligi potest uir perfectus, qui domitis carnis affectibus, solo diuini spiritus impetu ducatur. Porrò qui sit huiusmodi, hunc non conuenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere, sed suo domino, cuius spiritu agitur relinquendus est. Nec iudicandus est ex his ce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum, utanq; prouehitur ad ueram pietatem. Sed si quid secus fiat, dicendum est cum Paulo. Dominus assumpsit illum, domino suo stat aut cadit. Item illud: Spiritualis homo omnia dijudicat, ipse uero à nemine iudicatur. Talibus igitur nemo præscribat, sed dominus qui præscripsit terminos mari & annibus, habet

cor sui regis in manu sua, & quocunq; uoluerit inflectit illud. E. Tu uero Timothee, non solum canos habes capillos, sed pectus etiam habes eruditionis canitie uenerabile. Atq; utinam inter Christianos, quos omnes oportebat esse reges, huiusmodi plures reperirentur hoc digno cognomine. Sed iam satis est ouatum, & holeribus prælusum. Iubete hæc tolli, & apponi quod superest. Tim. Nobis affatim satisfactum est hac ouatione, etiam si nihil præterea sucesserit, uel supplicationis, uel triumphi. E. Verum quoniam aspirante Christo, sicut opinor, succesit res in prima sententia, uelim ut umbra tua nobis enarret alteram, quæ mihi uidetur aliquanto obscurior. Sophronius. Si boni uoletis consulere quicquid dixero, sedulo dicam qd mihi uidetur. Alioqui qui fieri potest, ut rebus obscuris lucem adferat umbra. E. Equidem recipio futurum omnium nomine. Et tales umbræ lucem suam habent, aptiorem oculis nostris. Soph. Idem docere uidetur quod Paulus. Diuersis uitæ rationibus contenditur ad pietatem. Alij placet sacerdotium, alij cœlibatus, alij coniugium, alij secessus, alij resp. pro uarietate corporum & ingeniorum. Rursus alius uesatur quibuslibet, alius distinguit inter ãbum & ãbum, alius iudicat inter diem & diem, alius iudicat omnem diem. In his Paulus uult unumquemq; suo frui affectu, ãtra contumeliam alterius. Nec oportet quenquã

ex huiusmodi iudicare, sed iudiciũ deferre deo, qui expendit corda. Fit enim sæpenumero, ut uesæns gratior sit deo, quàm non uesæns, & diem festum uiolans acceptior sit deo, quàm is, qui uidetur obseruare. Et matrimonium huius gratius sit oculis dei, quàm mulierum cœlibatus. Dixi umbra. E. Vtinam mihi sæpe contingat, cum talibus umbris colloqui. Rem, nisi fallor, non acu, quod aiunt, sed lingua tetigisti. Sed adest, qui cœlebs uixit, non de numero beatorum, qui se castrauerunt propter regnum dei, sed hic castratus est ui, quo magis placeret uentri, donec & hunc, & escas destruxerit deus. Capus est ex corte nostra. Elixis magis delector. Ius est non inelegans, quod in eo natat, lactucæ sunt selectissimæ. Sumat sibi quisq; qd' gratũ est animo. Sed ne quid uos fallam, succedet huic asi nonnihil, mox bellaria. Deinde fabulæ catastrophe. Tim. Sed interim excludimus uxorem è conuiuio. Eus. Vbi uos uenietis comitatu uestris, accumbet & mea. Nunc quid aliud esset, quàm muta persona, & illa suauius garrit mulier inter mulieres ac liberos, & nos liberius philosophamur. Alioqui periculum sit, ne nobis accidat, quod accidit Socrati, au quum essent conuiuæ philosophi, quibus magis placent huiusmodi fabulæ, quàm ãbus, & in lõgum proferretur disputatio, Xanthippe commota, mensam subuertit. Tim. Nihil minus à tua mente

endum arbitror. Est enim mulier moribus placidissimis. E. Mihi certe talis est, ut commutare non cupiam, etiam si liceat. Atq; hoc nõe mihi uel præcipue uideor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sententia, qui fortunatum putant, uxorem habuisse nunquam. Magis arridet quod ait sapiens Hebræus, ei bonam sortem obtigisse, cui obtigit uxor bona. Ti. Sæpe nostro uitio malæ sunt uxores, uel quia tales deligimus, uel quia tales reddimus, uel quia non, ut oportet formamus & instituimus. E. Vera prædicas, sed interim expecto tertiæ sententiæ enarrationem, & iam mihi dicturire uidetur θεόπνευστος Theophilus.

Th. Imò mihi animus erat impatiens. Dicam tamen quando licet impune. Eus. Etiam cum gratia licebit errare, uel sic præbebis occasionem inueniendi.

Theo. Mihi uidetur eadem sententia, quam protulit dominus apud Osee prophetam cap. vi. Misericordiam uolui, & non sacrificium, & scientiam dei plus q̃ holocausta. Cuius uiuus & efficax interpres est dominus Iesus in Euangelio Matthæi cap. ix. Quum enim conuiuium agitaret in domo Leui, qui erat publicanus, multosq; sui ordinis, suiq; quæstus homines inuitasset ad conuiuiũ, pharisæi, qui tumebant religione legis, quũ ea præcepta neglegerẽt, unde tota lex pẽdebat & pphetæ, quo discipulorũ animos alienarẽt à Iesu, rogabant illos, quur dominus admiscerẽt se cõuiuio pec

catorum, à quorum consortio abstinebant Iudæi, quo lebant haberi sanctiores, & si quando contigisset cum eiusmodi congredi, reuersi domum abluebant corpus. Quumq; discipuli rudes adhuc, non haberent quod responderent, dominus & pro se, & pro discipulis re spondit: Non est opus, inquit, medico ualentibus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est, misericordiam uolo, & non sacrificium. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores. Eus. Pulchre tu quidem collatione locorum rem explicas, id quod in diuinis literis præcipuum est, sed discere uelim, quid appellat sacrificium, quid misericordiam. Nam qui constitit, ut auersetur sacrificia deus, quæ sibi tot præceptis iusserat exhiberi? Th. Quomodo deus auersetur sacrificia docet ipse nos apud Esaiam. cap. primo. Sūt enim quædam præscripta Iudæis in lege, quæ significant magis sanctimoniam, quàm præstant, quod genus sunt, dies festi sabbatismi, ieiunia, sacrificia. Et sunt quæ semper præstanda sunt, quæ suapte natura bona sunt, non quia iusta. Iudæos autē auersatur deus, non quod obseruarent legis ritus, sed quod his stulte tumidi, negligerent ea, quæ deus maxime uult præstari à nobis, ac madentes auaritia, superbia, rapinis, odio, liuore, cæterisq; uicijs, existimabant deum ipsis multum debere, quod diebus festis uersarentur in templo, quod immolarent uictimas, quod abstinerent à abis uictiis,

quod illi nonnunquam ieiunarent. Vmbras amplectebantur, rem negligebant. Quod autem ait misericordiam uolo, & non sacrificium, opinor ex idiomate sermonis Hebræi dictum pro eo, quod erat, misericordiam uolo, potius quàm sacrificium, quemadmodum interpretatur Solomon, quum ait, facere misericordiam & iudicium, magis placent domino quàm uictimæ. Porrò omne officium, quod impenditur subleuando proximo, scriptura misericordiam uocat, & eleemosynam, quæ & ipsa nomen duxit à miserendo. Victimas appellari puto quicquid pertinet ad ceremonias corporales, & aliquid habet affine cum Iudaismo. Quod genus sunt delectus ciborum, uestitus præscriptus, ieiunium, sacrificium, præces ueluti pensum absolutæ, quies dies festi. Hæc enim ut pro tempore non sunt omnino negligenda, ita deo fiunt ingrata, si quis obseruationibus huiusmodi confisus negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimoniæ, etiam colloquia uitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientia est quiescere diebus festis, sed impium sit ob religionem dei sinere fratrem perire. Itaq; seruare diem dominicum, uictima est, ut ita loquar, reconciliari fratri, misericordia est. Porrò iudicium quanquam potest ad potentes referri, qui frequenter ui opprimunt imbecilles, tamen mihi uidetur

non absurdum, si respondeat illi, quod est apud Osee, & saentiam dei plusquam holocausta. Non seruat legem, qui non seruat iuxta mentem dei. Iudæi subleuabant asinum in foueam collapsum sabbatis & Christum calumniabantur, qui seruaret totum hominem in sabbato. Hic erat præposterum iudicium & aberat saenta dei, ne saebant enim quod ista propter hominem essent instituta, non homo propter illa. Sed hæc impudenter dicere uiderer, nisi uestro iussu dicerem, malim ex alijs rectora disere. Eus. Ista mihi uidentur adeo dicta impudenter, ut existimem dominum Iesum loqui per organum oris tui. Sed interim dum largiter pasamus animos nostros, ne negligantur collegæ. Th. Qui nam? Eus. Corpora nostra, nónne collegæ sunt animorum? Hoc enim malim quàm instrumenta, uel domicilia, uel sepulchra. Th. Hoc numirum est affatim refia, ubi totus homo refiatur. Eus. Video uos segniter attingere. Quare si uidetur iubebo proferri assa, ne prolauto conuiuio, longum præbeam. Videtis huius prandioli summam. Armus est ouillus, sed exquisitus, Capus, & perdiæs quatuor. Has solas à mercatu sumpsi, reliqua suppeditat hoc prædiolum. Tim. Epicureum prandium uideo, ne dicam Sybariticum.

Eus. Imò uix Carmeliticum: Sed quale quale est, boni consuletis. Animus certe purus est, si parum lautum

est conuiuium. Tim. Adeo non est muta tua domus, ut non solum parietes, sed & cyathus loquatur aliquid. Eus. Quid tibi loquitur? Tim. Nemo nisi à seipso læditur. Eus. Cyathus patrocinatur uino. Nam uulgus febrim, aut capitis grauedinem è potu contractam imputare solet uino, quum ipsi sibi malum acerserint, immodicè bibendo. Soph. Meus græce loquitur. ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Eus. Admonet non esse tutum sacerdotibus, aut regum famulis indulgere uino, quod uinũ ferè transferat in linguam quicquid latebat in corde. Soph. Apud Aegyptios olim nefas erat sacerdotibus bibere uinum, quum nondum illis mortales sua committerent arcana. Eus. Nunc licet quidẽ omnibus bibere uinũ, an expediat nescio. Eulali, quid libelli profers è crumena? perquam elegans libellus, nam foris etiam totus aureus est.

Eula. Sed idem intus pluſquam gemmeus est. Sunt epistolæ Paulinæ, quas ut unicas deliciας meas semper mecum circunfero, quas ideo profero, quod ex occasione sermonis tui ueniat in mentem locus quidam, qui me nuper diu torserit, nec adhuc satis sibi fiat animus. Is est in epistolæ prioris ad Corinthios cap. vi: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem. Primum si Stoicis credimus, nihil est utile, quod non idem honestũ. Quomodo igitur Paulus distinguit id, quod licet, ab

eo quod expedit? Certe scortari aut inebriari non licet, quomodo igitur licent omnia? Quod si paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omnium uult esse licentiam, non possum satis ex ipso loci tenore diuinare, quodnam sit illud genus. Ex ijs, quæ mox huic loco subijciuntur, conijcere licet, eum loqui de aborum delectu. Quidam enim abstinebant ab Idolothytis, quidam à cibis per Mosen interdictis. Et de Idolothytis agit cap. octauo. Rursus cap. decimo, uelut explicans huius loci sententiam ait: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello uenit manducate. Hoc quod hic subijcit Paulus, congruere uidetur cum eo, quod supra dixerat: Esca uentri, & uenter escis, & hunc & has destruet deus. Quod autem respexit hic etiam ad Iudaicum aborum delectum indicat clausula decimi capitis: Sine offensione estote Iudæis & gentibus & ecclesiæ dei. Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis ut salui fiant. Nam quod ait gentibus, pertinere uidetur ad idolothytum, quod ait Iudæis, referri uidetur ad delectum aborum, quod ait ecclesiæ dei, pertinet ad infirmos, ex utraq; gente collectos. Licet igitur uescà quibuslibet cibis, & omnia munda mundis, sed incidit casus, ut non expediat. Quod omnia licent, liber-

tatis est

tatis est Euangelicæ, sed charitas ubiq; spectat quid conducat ad salutem proximi, eoq; frequenter abstinet & à licitis, malens obsecundare commodo proximi, quàm sua uti libertate. Sed hic mihi geminus obstrepit scrupulus, primum quod in sermonis contextu nihil præcedat aut sequatur, quod cum hoc sensu cohæreat. Nam obiurgarat Corinthios, quod essent seditiosi, quod scortationibus adulterijs, atq; etiam incestis impuri, quod litigarent apud iudices impios. Cum his qui cohæret, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt? Et in his quæ sequuntur redit ad causam impudicitiæ, quam repetierat & ante, intermisso negotio litium. Corpus autem, inquit, non fornicationi, sed domino, & dominus corpori. Sed hunc quoq; scrupulum possum utcunq; discutere, quod paulo superius in Catalogo uitiorum meminisset, & idololatriæ: Nolite errare neq; fornicari, neq; idolis seruientes, neq; adulteri. Porrò esus idolothytorum uergebat ad speciem idololatriæ. Et ideo mox subdit: Esca uentri, & uenter escis, significans pro necessitate corporis, pro tempore licere uesci quibuslibet, nisi aliud suaserit charitas proximi sed impudicitiam semper & ubiq; detestandam esse. Quod uescimur necessitatis est, quæ tolletur in resurrectione mortuorum. Quod libidinamur malitiæ est. Sed alterum scrupulum non queo dissoluere, quomodo ad hæc quadret illud: Sed ego

ſub nullius redigar poteſtatem. Ait enim ſibi poteſtatem eſſe omnium, ſe tamen in nullius poteſtate fore. Si is dicatur eſſe in poteſtate aliena, qui ne offendat abſtinet, idem ca. ix. de ſe prædicat: Cum liber eſſem ab omnibus, oĩm me ſeruũ fecĩ, ut oẽs lucrifacerem. Hoc opinor, offenſus ſcrupulo San. Ambro. putat hunc eſſe germanum apoſtoli ſenſum, ut uiã præſtruat illi, quod agit ca. ix. ſibi quoq; poteſtatem eſſe faciendi quod cæteri faciebant, uel apoſtoli uel pſeudapoſtoli, ſumendi ſumptum ab his quibus prædicabat Euangelium. Sed ab hoc, tametſi licebat, temperabat, quod ſic expediret Corinthijs, quos de tã multis & inſignibus uicijs oburgabat. Porrò quiſquis accipit, fit quodammodo obnoxius ei, à quo accipit, & aliquid decedit de uigore autoritatis. Siquidẽ qui accipit, minus libere oburgat, & qui dedit, non perinde fert oburgari ab eo cui benefecit. In hoc igitur Paulus abſtinuit ab ijs, quæ licebant, ut conſuleret apoſtolicæ libertati, quam in hoc uolebat nulli eſſe obnoxiam, ut liberius ac maiore cũ autoritate reprehenderet illorum uitia. Mihi ſanè non diſplicet Ambroſiana ſententia. At tamen ſi quis mallet hunc locum ad ẽbos accommodare, mea ſententia, quod ait Paulus, ſed ego ſub nullius adigar poteſtatem, ſic accipi poſſet, tametſi nonnunq; abſtineã à ẽbis immolaticijs, aut lege Moſaica uetitis, ut conſulam ſaluti proximi, ac profectui Euangelico, tamen animus

meus liber est, qui sat sibi licere uesci abis quibuslibet, pro necessitate corpusculi. At pseudapostoli conabantur hoc persuadere quosdam abos per se impuros esse, nec abstinendum per occasionem, sed semper ab his temperandum, tanquam natura malis, nec aliter quàm abstinemus ab homicidio, & adulterio. Hoc quibus erat persuasam redacti erant sub alienam potestatem, & exciderant ab Euangelicæ libertate. Solus, quod quidem meminerim, Theophylactus, sententiam indicat ab his omnibus diuersam, licet uesci quibuslibet cibis, sed non expedit immodicè. Nam ex luxu nascitur impudicitia. Hic sensus quanquam impius non est, tamen mihi non uidetur huius loci germanus esse. Ostendi quæ me torqueant, uestræ charitatis erit, me ex his scrupulis eximere. Eus. Næ tu probe tuo respondes nomini. Qui sic nouit proponere quæstiones, non opus habet alio qui dissoluat. Sic enim proposuisti dubitationem tuã, ut ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniam multa simul decreuit agere, sæpe ab uno argumento in aliud deuoluitur, & rursum quod intermiserat repetit. Chrys. Nisi uererer ne uos mea loquacitate auocem à capiendo cibo, et si crederem fas esse, tam sacris colloquijs admiscere quicq̃ ex prophanis autoribus, proponerẽ & ipse quidam, quod hodie legentẽ me non torsit, sed uniæ delectauit. Eus. Imò ꝓphanũ diu non debet, qcq̃ pium

est, & ad bonos mores conducens. Sacris quidem literis ubiq; prima debetur autoritas, sed tamen ego non nunquam offendo quædam, uel dicta à ueteribus, uel scripta ab Ethnicis, etiam poëtis, tam caste, tam sancte, tam diuinitus, ut mihi nõ possim persuadere, quin pectus illorum quum illa scriberent, numen aliquod bonum agitauerit. Et fortasse latius se fundit spiritus Christi, quàm nos interpretamur. Et multi sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in Catalogo. Fateor affectum meum apud amicos, non possum legere librum Ciceronis de senectute, de amicitia, de officijs, de Tusculanis quæstionibus, quin aliquoties exosculer codicem, ac uenerer sanctum illud pectus, afflatum cœlesti numine. Contra quum hos quosdam recentiores lego, de republica, œconomica, aut ethica prædipientes, deum immortalẽ, quàm frigent præ illis imò quàm non uidentur sentire quod scribunt, ut ego citius patiar perire totum Scotum, cum aliquot suis similibus, quàm libros unus Ciceronis, aut Plutarchi, non quod illos in totum damnem, sed quod ex his sentiam me reddi meliorem, quum ex illorum lectione surgam, nescio quomodo, frigidius affectus erga ueram uirtutem, sed iritatior ad contentionem. Quare ne uerere, quicquid istuc est proponere.

Chryso. Quum pleriq; libri M. Tullij quos scripsit de philosophia, diuinitatis quiddam spirare ui-

dentur, tum ille quem senex scripsit de senectute, plane mihi uidetur κύκνου ἄσμα, quemadmodum Græcis est in prouerbio. Eum hodie relegi, atq; hæc uerba, quoniam præ cæteris arridebant, edidi: Quod si quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascærem, & in cunis uagiam, ualde recusem, nec uero uelim quasi decurso spatio, à calce ad carceres reuocari. Quid enim habet hæc uita commodi, quid non potius laboris? Sed non habeat sanè, habet certe tamen, aut satietatem, aut molestiam. Non libet enim mihi deplorare uitam, quod multi, & bi docti sæpe fecerunt. Nec me uixisse pœnitet, quoniam ita uixi, ut frustra me natum non existimem. Et ex uita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam è domo. Commorandi enim natura diuersorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum illum diem, quum ad illud animorum concilium, cœtumq; profiscar, & quum ex hac turba, & colluuione discedã. Hactenus Cato. Quid ab homine Christiano dicã potuit sanctius? Vtinam talia essent colloquia monachorum omnia, uel cum sacris uirginibus, quale fuit illud ethnici senis colloquium cum ethnicis adolescentibus. Eus. Iam aliquis causabitur colloquium esse confictum à Ciærone. Chryso. Istuc mea non magni refert, siue hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit, dixeritq;, siue Ciæroni, cuius animus sententias tam diuinas, cogitatione comple-

xus sit, cuius calamus res egregias, pari facundia depinxerit. Quanquam equidem arbitror, & Catonem, etiamsi non dixit eadem, tamen simulia dicere solitum in colloquijs. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, ut alium Catonem finxerit, quàm fuerit, & in dialogo parum meminerit decori, quod in primis spectandum est, in hoc scripti genere, præsertim quum eius uiri memoria recens adhuc hæreret animis eius ætatis hominum Theodidactus. Vehementer probabile est quod narras. Sed dicam quid mihi ueneriit in mentem, te reatante. Sæpenumero mecum admiratus sum, quum omnes optent longæuitatem, & mortem exhorreant, tamen uix quenquam comperi tam feliçm, non dico senem, sed prouectioris ætatis hominem, quin rogatus, an si detur, uelit repuerascere, usurus per omnia ijsdem bonis ac malis, quæ illi iam contigissent in uita, quin responderit idem quod Cato dixit, præsertim si recolat animo, quicquid annis retro actis, seu triste, seu lætum obtigisset. Nam frequenter & suauium rerum recordatio, uel cum pudore, uel cum conscientiæ molestia coniuncta est, ut animus ab his etiam recolendis non minus abhorreat, quàm à tristibus. Id opinor nobis indicarunt sapientissimi poëtæ, q scribũt, tum demũ animas capi desiderio corporum relictorum, posteaquàm ex amne lethæo, longa biberint oblua. Vranius. Est istuc profecto di-

gnum admiratione, & mihi quoq; compertum in non nullis. Verum illud quàm mihi blandiebatur. Nec me uixisse pœnitet. At quotusquisq; Christianorum, sic moderatur uitam suam, ut huius senis uocem sibi possit usurpare? Vulgus hominum existimat se non frustra uixisse, si per fas nefasq; congestas diuitias relinquant morientes. At Cato ideo non putat se frustra natum, quod integrum & sanctum ciuem præstiterit reipub. quod incorruptum magistratum, quod posteritati quoq; uirtutis & industriæ suæ monumenta reliquerit. Iam illo quid dici potuit diuinius? Discedo tanquam ex hospitio, non tanquam è domo. Hospitio tantisper uti licet, donec hospes iubeat exire. E domo sua nullus facile pellitur. Et tamen hinc quoq; sæpenumero propellit, uel ruina, uel incendium, uel alius casus quispiam. Vt horum nihil accidat, tamẽ senio collabens ædificium admonet esse demigrandum.

Neph. Non minus elegans est, quod apud Platonẽ loquitur Socrates, aiam humanam, in hoc corpore uelut in præsidio positam esse, unde fas non sit decedere iniussu imperatoris, nec diutius in eo cõmorari, q̃ usum sit ei, qui collocauit. Illud significantius est in Platone, quod pro domo dixerit præsidium. Siquidẽ in domo tantũ cõmoramur, in præsidio destinati sumus functioni quam nobis delegauit imperator noster, nõ abludens à nostris literis, quæ uitam hominis nũc militiam

nunc certamen esse dicunt. Vranius. At mihi quidem oratio Catonis pulchre congruere uidetur, cum oratione Pauli qui scribens Corinthijs cœlestem mansionem, quam expectamus post hanc uitam, οἰκητήριον uocat, & οἰκητήριον, hoc est, domum siue domicilium. Cæterum hoc corpusculum appellat tabernaculum Græce σκῆνος. Nam & qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati. Neph. Nec abludit à sermone Petri. Iustum autem, inquit, arbitror, quàm diu sum in hoc tabernaculo, suscitare uos in commonitione, ærtus, quod uelox est depositio tabernaculi mei. Quid autem aliud clamat nobis Christus, quàm ut sic uiuamus, ac uigilemus, tanquam illico morituri, sic incumbamus honestis rebus, tanquam semper uicturi? Iam illud quum audimus, O præclarum diem, nónne uidemur audire Paulum ipsum loquentem: Cupio dissolui, & esse cum Christo? Chryso. Quàm felices sunt, qui tali animo mortem expectant. Sed in oratione Catonis, quanquam præclara est, tamen fiduciam aliquis taxare posset, ut ab arrogantia profectam, quam multum oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil unquam legisse uideor apud ethnicos, quod aptius quadret in hominẽ uere Christianum, quàm quod Socrates paulo post bibiturus cicutam dixit Critoni: An opera, inquit, nostra sit probaturus deus, nescio. Certe, sedulo

conati sumus, ut illi placeremus. Est tamen mihi bona spes quod ille conatus nostros, sit boni consulturus. Vir ille sic diffidit factis suis, ut tamen ob animi propensam uoluntatem, obtemperandi uoluntati diuinæ, bonam spem conceperit fore, ut deus pro sua bonitate, boni consulturus esset, quod studuisset bene uiuere. Neph. Profecto mirandus animus in eo qui Christum, ac sacras literas non nouerat. Proinde quum huiusmodi quædam lego, de talibus uiris, uix mihi tempero, quin dicam, sancte Socrates ora pro nobis. Chrysog. At ipse mihi sæpenumero non tempero, quin bene ominer sanctæ animæ Maronis ac Flacci. Neph. At ego quot uidi Christianos quàm frigide morientes. Quidam fidunt his rebus, quibus non est fidendum, quidam ob consaeptam scelerum, & scrupulos quibus indocti quidam obstrepunt morituro, penè desperantes exhalant animam. Chrys. Nec mirum eos sic mori, qui per omnem uitam philosophati sunt in cæremonijs. Neph. Quid istuc uerbi est? Chrysog. Dicam, sed illud etiam atq; etiam præfatus, me non damnare, Imò uehementer probare sacramenta & ritus ecclesiæ. Sed quosdam uel improbos, uel superstitiosos, uel ut mollissime dicam, simplices & indoctos, qui docent populum his sæ rebus fidere, prætermissis his, quæ nos uere reddũt Christianos. Neph. Nondum satis intelligo, quorsum

quium. Chrys. Faxo ut intelligas. Si uulgus Christianorum spectes, nonne prora & puppis utræ illis in cæremonijs est? In baptismo quanta religione representantur prisci ritus ecclesiæ, Commoratur infans extra fores templi, peragitur exorasmus, peragitur catechismus, suspiuntur uota, abiuratur satanas, cum pompis, & uoluptatibus suis. Tandem ungitur, saliatur, tingitur. Datur negocium susceptoribus, ut puerum curent instituendum. Illi dato nummo redimunt libertatem. Et iam puer Christianus dicitur, & est alio quo modo. Mox rursus ungitur, tandem discit confiteri, sumit Eucharistiam, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrum, ieiunare nonnunquam, abstinere à carnibus. Et hæc si seruat, habetur absolute Christianus. Ducit uxorem, accedit aliud sacramentum, Initiatur sacris, rursus ungitur, & consecratur, mutatur uestis. Dicuntur preces. Atq; hæc quidem omnia quod fiunt probo, sed quod hæc fiunt magis ex consuetudine, quàm ex animo, non probo. Quod nihil aliud adhibetur ad Christianismum uehementer improbo. Siquidem magna pars hominum, dum his fidit, nihilo secius interim per fas nefasq; congerit opes, seruit iræ, seruit libidini, seruit liuori, seruit ambitioni. Sic tandem uenitur ad mortem. Hic rursus cæremoniæ paratæ. Adhibetur confessio semel atq; iterum, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cærei sacri,

adest crux, adest aqua sacra, adhibentur indulgentiæ, expromitur, aut illic etiam emitur morienti diploma pontificis, ordinantur parentalia magnificæ celebranda, fit rursus stipulatio solennis. Adest qui clamet ad aurem morientis, Imò nonnunquam occidit ante tempus, si contingat (ut sæpe fit) uocalior, aut bene potus. Hæc ut rectè adhibentur, præsertim quæ nobis tradidit ecclesiastica consuetudo, ita sunt alia quædam reconditiora, quæ nobis hoc præstant, ut cum alacritate spiritus, ut cum Christiana fiducia nigremus binc. Eus. Pie tu quidem ista, uereq; conaonaris, sed interim nullus admouet manum abis. Caueat quisq; ne se fallat. Ego prædixi nihil expectandum præter secundas mensas, easq; rusticanas, ne quis sibi promittat phasides aues, aut attagenas, aut attica bellaria. Hæc amoueto puer, & quod restat, apponito. Videtis non copiæ, sed inopiæ nostræ cornu. Hic est prouentus hortulorum quos audistis. Ne paratè, si quid arridet. Tim. Tanta uarietas est, ut uel ipso recreemur aspectu. Eus. Atqui ne planè contemnatis frugalitatem meam. Hæc patina exhilarasset Hilarionem monachum Euangelicum, comitatum uel æntum monachis illius seculi. Paulo uero atq; Antonio, uel menstruus cõmeatus esse potuisset. Ti. Imò nec Petrus ille primæps apostolorum fastidisset opinor, quum apud Simonem Coriarium diuersaretur.

Eus. Imò nec Paulus opinor, quum coactus egestate sutoriam nocturnis horis exerceret. Tim. Debemus benignitati diuinæ. Sed ego malim esurire cum Petro ac Paulo, modo quod deesset corporis alimoniæ, abundaret in delitias animi. Eus. Imò discamus à Paulo & abundare & penuriam pati. Quum decerit, gratias agamus Iesu Christo, qui nobis suppeditet & frugalitatis, & patientiæ materiam. Quum supererit, gratias agamus illius munificentiæ, qui nos sua liberalitate inuitet ac prouocet ad amorem sui, ac modiæ parcéq; fruentes ijs quæ largiter præbuit diuina benignitas, pauperum memores simus, quibus deus deesse uoluit, quod nobis superest, ut utrisq; per alteros sit occasio uirtutis. Siquidem nobis largitur, unde subuenientes egestati fraternæ, misericordiam ipsius promereamur, & illi nostra liberalitate recreati, gratias agunt deo pro bona mente nostra, nosq; precibus suis illi commendant. Et recte uenit in mentem. Heus puer, dic uxori, ut ex assis quæ superant, mittat Gudulæ nostræ. Est uidua quædam grauida, tenui fortuna, sed animo beatissima. Maritus nuper decessit, homo profusus, & ignauus, qui nihil uxori reliquit, præter liberorũ gregem. Ti. Christus iussit dare omni petenti, id si facerem, intra mensem ipsi mihi mendicandum esset. Eus. Opinor Christum sentire de his qui petant necessaria. Nam qui petunt, imò qui flag-

tant uel extorquent potius magnas summas, quibus extruant cœnationes Lucullianas, aut quod peius est, quibus alant luxũ & libidinem suam, ijs negare quod petũt eleemosyna est, Imò rapina est, largiri male usuris quod debebatur præsenti necessitati proximi. Vnde mihi uidentur uix excusari posse à peccato capitali, qui sumptibus immodicis, aut extruunt, aut ornant monasteria seu templa, quum interim tot uiua Christi templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumq; necessariarum inopia discruciantur. Cum essem apud Britannos, uidi tumbam diui Thomæ gemmis innumeris, summiq; precij onustam, præter alia miracula diui tiarum. Ego malim ista, quæ superflua sunt elargiri in usus pauperum, quàm seruare Satrapis aliquando semel omnia direpturis, ac tumbam ornare frondibus ac floscalis, id opinor gratius esset illi sanctissimo uiro. Quum essem apud Insubres, uidi monasterium quoddam ordinis Cartusiani, non ita procul à Papia. In eo templum est intus ac foris, ab imò usq; ad summum candido marmore constructum, & fere quicquid inest rerum, marmoreum est, uelut altaria, columnæ, tumbæ. Quorsum autem attinebat tantum pecuniarum effundere, ut paucì monachi solitarij cæterent in templo marmoreo, quibus ipsis templum hoc oneri est non usui, quod frequenter infestentur ab hospitibus, qui non ob aliud eò se conferunt, nisi ut spectent

templum illud marmoreum. atque illic cognoui, quod stultius etiam est, illis legata in singulos annos tria millia ducatorum in structuram monasterij. Et sunt qui putent esse nefas eam pecuniam in pios usus auertere, præter mentem testatoris. Maluntq; demoliri, quod instaurent, quàm non ædificare. Hæc quoniam insignia sunt, uisum est commemorare, quanquam sunt passim in templis nostris exempla permulta similia. Hæc mihi uidetur ambitio, non eleemosyna. Diuites, ambiunt sibi monumentum in templis, in quibus olim, nec diuis locus erat. Curant se sculpendos ac pingendos additis etiam nominibus, ac beneficij titulo. Dicat aliquis. An horum munificentiam existimas reijciendam? Nequaquam, si templo dei dignum sit, quod offerunt. Sed ego si sacerdos aut episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negociatores, ut si uellent sua peccata redimere apud deum, ista clanculum effunderent in subsidium eorum, qui uere pauperes sunt. Isti putant perire pecuniam, quæ sic frustulatim & clanculum in præsentem egestatem tenuium subleuandam dissipatur, cuius nullum extet apud posteros monumentum. Ego puto nullam melius collocari ea, quam ipsi Christus sibi uult imputari, ærtissimus debitor. Tim. An non putas recte collocari, quod datur monasterijs? Eus. Et his darem nonnihil si diues essem, sed darem ad necessitatem, non ad lu-

xum, tum his inter quos sentirem uigere studiũ uerę religionis. Tim. Multi iudicant non admodum belle collocari, quod datur istis mendicis publicis. Euseb. Et istis nonnihil dandum est aliquando, sed cum delectu. At mihi consultum uideatur, si singulę ciuitates suos alerent, nec ferrentur errones huc & illuc aranearum instar, præsertim ualidi, quibus opus suppeditandum sentio potius, quàm pecuniam. Tim. Quibus igitur potissimum dandum censes, quantum, & quatenus? Eus. Hoc mihi ad unguẽ describere difficillimum sit. Primum ciuium adesse oportet, qui capiat omnibus subuenire. Deinde pro mea tenuitate quod possum impartio, quoties sese offert occasio, præsertim his, quorum & paupertas & integritas mihi nota est. Hortor & alios ad beneficentiã, si me defecerint facultates. Tim. Sed permittis ne nobis hic in tuo regno libere loqui? Eus. Imò liberius quàm si domi uestræ sitis. Tim. Non probas in templis sumptus immodicos. Et has ædes multo minoris ædificare poteras. Eus. Equidem arbitror has intra mundidem consistere, aut si mauis elegantiam, certe absunt à luxu, ni fallor. Aedificant magnificentius qui mendicato uiuunt. Et tamen hi ipsi horti mei, quales quales sunt uectigal pendent egenis. Et quotidie sumptibus aliquid detrabo, in me meosq; frugalior, quo possim esse in pauperes munificentior.

Tim. Si istum animũ obtinerent omnes, permulti melius haberent, quos nunc egestas grauat indignos, & ex aduerso multi minus essent obesi, digni quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam. Eus. Fortasse sic res habet, sed multis ne, ut hæc insipida bellaria re quapiam suaui condiamus? Tim. Plus satis est delitiarum. Eus. At ego hinc depromam, quod ne saturi quidem fastidiatis. Tim. Quid est? Euseb. Codex est Euangeliorum, ut quod lautissimum habeo, uobis depromam in fine conuiuij. Reata puer, ab eo loco ubi proxime destitisti.

Puer. Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unũ sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis deo seruire & mammonæ. Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, neq; corpori quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm uestimentum? Eus. Redde codicem. In hoc loco mihi Iesus Christus uidetur bis idem dixisse. Etenim si pro eo quod prius dixit, odio habebit, mox ponit contemnet, & pro eo quod prius posuerat diliget, mox uertit sustinebit, commutatis personis, existit eadem sententia. Tim. Non satis assequor quid uelis. Euseb. Demonstremus igitur ratione Mathematica, si uidetur. In priore parte pro uno pone A. pro altero B. rursus in posteriore pro uno pone B. pro

ne B. pro altero A, uerso ordine. Aut enim A odio habebit, & B diliget, aut B sustinebit, & A contẽnet. Nónne hic palàm est, A bis odio haberi & B bis diligi? Tim. Perspicuum est. Eus. Atqui hæc conuenctio, aut, præsertim repetita, habet emphasim sententiæ contrariæ, aut certe diuersæ. Alioqui nónne absurde diceretur. aut Petrus me uincit, & ego ædam, aut ego ædam & Petrus me uincit. Tim. Lepidum ita me deus amet sophisma. Eus. At tum demum mihi uidebitur lepidum si hoc ex uobis didicero. Tim. Animus somniat ac parturit mihi nescio quid, si iubetis quicquid est, proferam in medium, uos eritis, uel onuropoli uel obstetriçes. Eus. Quanquã uulgo mali ominis habetur somniorum meminisse in conuuio, & parum sit uereandum coram tot uiris fœtum enuti. Tamen nos istud somnium, siue mauis partum animi tui libenter excipiemus. Tim. Mihi uidetur in hoc sermone res commutari potius quàm persona. Et hanc uocem unum & unum non referri, ad A & B, sed utraq; pars refertur ad utrumlibet, ut utrũcunq; delegeris, ei iam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas. Aut excludes A, & admittes B, aut A admittes, & excludes B. Hic uidetis manente persona, rem esse translatam. Atq; hoc ita dictum est de A, ut nihil referat si idem enunties de B, hoc pacto, aut B excludes & admittes A. aut admit-

tes B & excludes A. Euseb. Sanè argute tu quidem problema nobis explicuisti, neq; quisquam mathematicus melius depinxisset in puluere. Soph. Illud in re magis mouet, quod hic prohibet esse solliciros de crastino, quum Paulus ipse laborarit manibus uictus parandi causa, atq; idem acriter increpet odiosos & ex alieno uiuere gaudentes, admonens, ut laborent ac manibus operentur quod bonum est, ut sit unde tribuant aliquid necessitatem patienti. An non pij sanctiq; labores sunt, quibus maritus tenuis, alit uxorem sibi charissimam, dulcesq; liberos? Tun. Ista quæstio mea sententia uarijs modis dissolui potest. Primum ut ad illa tempora potissimum pertineat. Apostolis ob Euangelij prædicationem late uagantibus, eximenda erat solliciudo uictus undecunq; suppeditandi, quibus non uacabat opera manuaria cibum quærere, præsertim quum nullam artem scirent quidem præter piscationem. Nunc alia ratio temporum est, & odium amplectimur omnes, laborem fugimus. Altera dissolutio ratio est. Christus non interdixit industriam, sed solliciudinem. Et solliciudinem intelligit, iuxta uulgarem hominum affectum, qui nulla de re magis anxij sunt, quàm de parando uictum, ut omnibus rebus omissis hoc solum agant, huic uni curæ sint addicti. Id propemodum indicat ipse dominus, quum negat eundem duobus dominis seruire posse. Seruit enim qui

toto pectore addictus. Præcipuam igitur curam uult esse Euangelij propagandi, non solam. Ait enim: Primum quærite regnum dei, & hæc adijcientur uobis. Non dixit solum quærite, Sed primum quærite. Cæterum in uoce crastini, puto hyperbolen esse, quum significet in longinquum, qui mos est auaris huius mundi, ut posteris etiam anxie parent & quærant.

Euseb. Accepimus tuam interpretationem, sed quid sibi uult quod ait: Ne solliciti sitis animæ uestræ quid edatis. Corpus uestre tegitur. At non edit anima.

Timoth. Animam, ut opinor, hic uitam appellat. Ea periclitatur si cibum subduxeris. Non item si uestem detraxeris, quo magis datur pudori, quàm necessitati. Et si quem afflixit nuditas, non statim occidit. At inedia certissima mors est.

Eulalius. Non satis uideo quomodo cohæreat cum hac sententia quod adijcit. Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm uestimentum? Nam si uita magni precij est, tanto magis aduigilandum, ne pereat. Hoc argumentum non adimit nobis solliciudinem, sed auget.

Euseb. At non hoc sensit Christus quod interpretaris, sed hoc argumento nobis addit fiduciam de patre. Si pater benignus, gratis & de suo dedit, id quod charius est, etiam adijcet id quod uilius est. Qui dedit animam non negabit alimoniam, qui dedit corpus, adijcet aliunde uestem. Illius igitur benignitate freti,

non est quod discrucemur sollicitudine auráq; rerum infimarum. Quid igitur superest, nisi ut utentes hoc mundo, tanquàm non utamur, totam curam ac studium nostrum transferamus in amorem rerum cœlestium, atq; reiecto mammona, imò toto Satana, cum omnibus suis præstigijs, uni domino toto & alacri pectore seruiamus, qui non destituet filios suos. Sed interim nullus attingt bellaria. His certe cum gaudio uescia licet, quæ non magna cura nobis domi proueniunt. Tim. Abunde satisfactum est corpusculo. Eus. Vellem quidem & animo. Tim. Atq; uberius etiam animo. Euseb. Hæc igitur tolle puer, ac labrum appone. Lauemus amici, ut si quid forte commissum est in hoc conuiuio, purgati canamus hymnum deo. Persidam si uidetur quod cœperã ex Chrysostomo. Tim. Rogamus. Euseb. Gloria tibi domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas, imple nos gaudio & lætitia in spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes unicuiq; secundum opera sua. Puer. Amen. Tim. Profecto pius & elegans est hymnus. Euseb. Hunc diuus Chrysostomus non dedignatur etiam interpretari. Tim. Quonam loco? Euseb. In Matthæum homilia. lvi. Tim. Non omittam, quin hodie legam. Sed illud unum interim ex te cupio dis-

re, quur ter optamus Christo gloriam, idq; triplici cognomine, domini, sancti & regis. Euseb. Quoniam illi debetur omnis gloria, sed nobis triplici nomine potissimum est glorificandus, quod suo sacrosancto sanguine redemerit nos à tyrannide diaboli, sibiq; asseruerit, unde & dominum illum uocamus. Deinde quod non contentus gratis condonasse nobis omnia peccata, per spiritum suum contulit nobis & iustitiam suam, ut sectemur ea quæ suæ sanctimoniæ. Atq; ob id sanctum eum uocamus, quod sit sanctificator omnium. Postremo, quod ab eodem speramus præmium regni cœlestis, ubi ille iam sedet ad dextram dei patris, atq; hinc nobis rex dicitur. Atq; hanc totam felicitatẽ illius erga nos gratuitæ bonitati debemus, quod pro domino uel tyranno potius diabolo, dominum habemus Iesum Christum, pro immunditia & sordibus peccatorum, innocentiam ac sanctimoniam, pro gehenna, gaudia uitæ cœlestis. Tim. Pia profecto sententia. Euseb. Quoniam nunc primum uos hic accepi conuiuio, non dimittam uos absq; xenijs, sed talibus, qualis fuit apparatus. Heus puer, profer apophoreta nostra. Siue sortiri placet, siue sibi quisq; malit deligere, minimum refert, eiusdem ferè precij sunt omnia, hoc est nullius. Non enim sunt sortes Heliogabali, ut huic obueniant equi centum, illi totidem muscæ. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucernula, & the

ta cum calamis Memphiticis. Hæc arbitror magis conuenire uobis, quàm opobalsamum, aut dentifricium, aut speculum, si uos noui satis. Tim. Adeo bella sunt omnia, ut nobis difficilis sit electio. Ipse magis pro tuo arbitratu distributo, sic gratus etiam erit quicquid obtigerit. Eus. Hic libellus in membranis habet prouerbia Solomonis, sapientiam docet, & auro pictus est, quod aurum habeat sapientiæ symbolum. Hoc dabitur cano nostro, ut iuxta doctrinam Euangelicam habenti sapientiam, detur sapientia, & exuberet. Tim. Certe carabitur, ut minus egeam. Eus. Sophronio congruet horologium hucce extrema Dalmatia profectum, ut uel sic commendem munusculum meum. Noui enim quàm ille sit parcus temporis, quàm nullam omnino portionem rei pretiosissimæ sinat abire sine fructu. Sophro. Imò pagrum admones diligentiæ. Eus. Hic libellus habet in membranis Euangelium secundum Matthæum, gemmis tegi merebatur, nisi nullum esset illi scrinium aut theca charior, quàm pectus hominis. Illuc igitur recondito Theophile, quo magis hoc sis, quod diceris. Theoph. Efficiam, ne prorsus male collocasse uideaeris tuum munus. Euseb. Hic sunt epistolæ Pauli, quas tu libenter tecum circunferes Eulali, qui Paulum semper habere soleas in ore, nec haberes in ore, nisi esset in pectore. Posthac commodius erit etiam in ma-

nibus, oculisq;. Eula. Istuc non est dare munus, sed dare consilium. Porrò bono consilio nullum est munus preciosius. Eus. Lucernula conuenuet Chrysoglotto anagnostæ insatiabili, & ut M. Tullius inquit, librorum helluoni maximo. Chryso. Bis habeo gratiam: primum pro munere, non uulgariter eleganti: deinde quod somnulosum admones uiglantiæ. Eus. Theca calamaria debetur Theodidacto, feliasime πολυγράφῳ. Atq; hos calamos ego feliasimos esse iudico, quibus celebrabitur gloria domini nostri Iesu Christi, tali præsertim artificæ.

Theo. Vtinam & pectus suppeditare possis, quēadmodum suppeditas instrumenta. Eus. Hic codex habet aliquot Plutarchi libellos de moribus, sed selectos, & à quodam Græcæ literaturæ perituissimo non insatè descriptos, in quibus tantum reperio sanctimoniæ, ut mihi prodigio simile uideatur in pectus hominis ethnici tam Euangelicas potuisse uenire cogitationes. Hic dabitur Vranio iuueni & φιλέλλην. Superest horologiū. Id cedet nostro Nephalio, parasitissimo temporis dispensatori. Neph. Habemus gratiam, non solum pro munusculis, uerumetiam pro testimonijs. Nam istuc non tam est distribuere xenia q̄ elogia. Eus. Imò ego uobis habeo gratiā dupliā nomine. Primum quod nostram exilitatem bonis consulitis. Deinde quod eruditis iuxta ac pijs sermonibus refecā-

ſtis animum meum. Ego uos quomodo acceptos dimit tam neſão. Certe ego uos relinquam meltor ac doctior. São uobis non eſſe cordi fiſtulas aut moriones, ac multo minus aleam. Quare ſi uidetur, ſallemus horulam ſpectandis reliquis regiæ meæ miraculis.

Tim. Iſtuc eramus abs te flagitaturi. Euſ. Apud bonæ fidei promiſſorem, non eſt opus flagitatore. Hanc aulam æſtiuam, optnor uos iam ſatis contemplatos. Habet tripliçm proſpectum, & quoquo uerſum deflectis oculos, occurrit uiror hortorum gratiſſimus. Vitreis feneſtris uolubilibus, ſi uideatur licet excludere cœlum, ſi nebulis, aut uentis ſit incommodius, licet & denſis ualuis foris admotis ac tenuibus intus excludere ſolem, ſi quid offendat æſtus. Hic quum prandeo, uideor in horto prandere non in domo. Nam & parietes uirentes, ſuos habent inſperſos floſculos, ſunt & picturæ non inuenuſtæ. Hic Chriſtus ſupremam compotationem agitat cum electis diſcipulis. Hic natalida celebrat Herodes funeſto conuiuio. Hic Euangelicus ille diues epulatur ſplẽdide, mox deſcenſurus ad inferos, Lazarus repellitur à foribus, mox excipiendus ſinu Abrahæ. Tim. Hoc argumentum non ſatis agnoſcimus. Euſeb. Cleopatra eſt cum Antonio luxu decertans. Iam unionem ebibit, alteri manum admouit detractura. Hic pugnant Lapithæ. Hic Alexander Magnus haſta tranſuerberat Clitum. Hæc ex

empla nos admonent sobrietatis in conuiuio, & à crapula, luxuq; deterrent. Nunc adeamus bibliothecam, non illam quidem multis instructam libris, sed exquisitis. Tim. Locus hic planè diuinitatem quandam præ se fert, adeo nitent omnia. Eusseb. Hic uidetis præcipuam partem opum mearũ. Nam in mensa nihil uidistis, nisi uitreum, ac stanneum, nec est in tota domo uas ullum argenteum, præter unum poculum inauratum, quod ob amorem eius, qui dono dedit religiose seruo. Hæc sphæra pensilis totum orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus singulæ regiones, fusiore spacio depictæ sunt. In reliquis parietibus uidetis insignium autorum imagines. Nam omnes depingere fuerit infinitum. Christus primum habet locum, porrecta manu sedens in monte. Capiti imminet pater dicens: Ipsum audite. Spiritus sanctus expansis alis multa lucæ complectitur illum. Tim. Opus ita me deus bene amet, Apelle dignum. Eus. Adiunctum est bibliothecæ museon quoddam angustum, sed elegans, quod [illegible]motata tabula ostendit soalum, si quid offenderit frigus. In æstate uidetur solidus paries. Tim. Hic mihi gemmea uidentur omnia. Est & mira odoris gratia. Euseb. Hoc mihi præcipue studio est, ut nitear domus, & bene oleat. Vtraq; res minimo constat. Habet bibliotheca suum ambulacrum pensile spectans in hortum, & huic ad

hæret sæcllum. Tim. Locus numine dignus. Eus. Nunc adeamus illa tria ambulacra, quæ imminent ijs, quæ uidistis ad ortum domesticum spectantia, in his superioribus utroq; prospectus est, sed per feneſtras, qui possunt occludi præsertim in his parietibus, qui non spectant hortum interiorem, quo domus sit tutior. Hic ad læuam, quia plus est lucis, & paries raris feneſtris interruptus, ordine depicta est tota uita Iesu, ex narratione quatuor Euangelistarum, usq; ad missum spiritum sanctum & primam prædicationem apostolorum ex actis. Additæ sunt & loca notæ, ut agnoscat spectator iuxta quod stagnum, aut in quo monte res gesta sit. Additi sunt tituli, paucis uerbis subnotantes totum argumētum, uelut illud quod dicitur à Iesu: Volo mundare. Ex aduerso respondent figuræ, & uaticinia ueteris testamenti, præsertim è prophetis & psalmis qui nihil aliud habent quàm Christi uitam, & apostolorum aliter narratam. Hic nonnunquàm obambulo mecum fabulans, & animo contemplans illud ineffabile consilium dei, quo per filium suum restituere uoluit genus humanum. Nonnunquam adest uxor comes aut amicus quispiam, quirebus pijs delectetur. Tim. In hac domo cui posset obrepere tædium? Eus. Nulli qui didicerit secum uiuere. In summa ora picturæ, uelut extra ordinem addita sunt capita pontificum Romanorum, cum

ſuis titulis. Ex aduerſo capita Cæſarum ob memoriam hiſtoriæ. In utroq; cornu prominet penſile cubiculum, ubi liceat interquieſcere, & unde ſpectare licet pomarium, & annulas noſtras. Hic in extremo angulo prati uidetis aliud ædificiolum, ubi cœnamus nonnunquam æſtiuis menſibus. Et ubi curatur, ſi quem forte è familiaribus corripuerit morbus ob contagium formidabilis. Tim. Quidam negant huiuſmodi morbos eſſe uitandos. Euſebius. Quur ergo uitant foueam, aut uenenum. An hoc minus timent, quia non uident? Nec baſiliſci uenenum uidetur quod afflat oculis. ubi res poſcat, non dubitem pro neceſſarijs uenire in uitæ diſcrimen. Sine cauſa ſubire uitæ periculum temeritas eſt, alios in uitæ periculum adducere, crudelitas. Sunt & alia quædam non inuicunda ſpectatu. Ea mandabo uxori, ut oſtendat. Manete hic uel totum triduum, & hanc domum putate eſſe ueſtram. Paſcite oculos, paſcite animos. Nam me negotia quædam alio uocant. Eſt equitandum in pagos aliquot uicinos. Tim. Obrem pecuniariam. Euſ. Ego tales amicos non relinquerẽ pecuniæ gratia. Ti. Fortaſſis uenatio parata eſt aliubi. Euſ. Planè uenatio eſt. Sed aliud uenor quàm apros aut cæruos. Tim. Quid igitur? Euſeb. Dicam, in uno pago decumbit amicus quidam non ſine periculo uitæ. Nam corpori metuit medicus. Ego magis metuo ani-

mæ illius. Nam mihi uidetur parum recte compositum ad emigrandum, sicut dignum est Christiano. huic adero meis hortatibus, ut siue moriatur, siue reualescat, bono ipsius fiat. In altero, dissidium acre natum est inter duos, non malos quidem illos, sed tamen pertinacis ingenij uiros. Quod si exasperetur, uereor ne plures secum trahat in consortium simultatis. Adnitar tutis uiribus ut hos redigam in gratiam. Nam utriq; sum ueteri necessitudine iunctus. Hæc sunt quæ uenor. Quod si uenatio successerit ex animi sententia, simul hic celebrabimus ἐπινίκια. Tim. Pia uenatio, precamur, ut tibi pro Delia Christus aspiret. Eusseb. Hanc prædam ego malim, quàm obuenure mihi hæreditate bis mille ducatos. Tim. Mox rediturus? Eus. Non nisi tentatis omnibus. Quare certum tempus non possum præscribere. Vos interim meis perinde ac uestris fruamini & ualete. Tim. Dominus Iesus te feliciter deducat ac reducat.

CONVIVII RELIGIOSI
FINIS.

POMPILIVS. BRASSICANVS.

De incomparabili heroe Ioanne Reuchlino in diuorum numerum relato.

POMPILIVS.



Nde nobis petasatus? B. *EThubinga.* P. *Nihil ne isthic rei nouæ.* B. *Equidem demiror usq; adeo mortales omnes teneri siti quadam rerum nouarum. At ego Louanij Camelum quendam audiui concionantem, fugiendum quicquid esset nouum.* P. *Vocem camelo dignam. Dignus erat homo, si tamen homo fuit, qui nunquam mutaret ueteres calæos, aut putre subligar: semper uescatur putribus ouis, nec aliud bibat, quàm uappam.* B. *At idem ne sis insaus, non usque adeo delectatur rebus ueteribus, ut malit ius pridianum quàm recens.* P. *Sed omisso Camelo dic siquid adfers noui.* B. *Adfero quidem, sed ut ille aiebat, malum.* P. *Atqui istuc ipsum olim erit uetus. Ita*

fieri necesse est, ut si omnia uetera sint bona, omnia nó ua mala, quæcunq; nunc bona sunt, fuerint olim mala, & quæ nunc sunt mala, sint olim futura bona.

B. Ita uidetur iuxta decretum Cameli. Imò consequitur, ut qui olim adolescens fuit malus fatuus, quia recens idem nunc sit bonus fatuus, quia senuit.

P. Sed age, prome quicquid est. B. Egregius ille trilinguis eruditionis phœnix IOAN. REVCH. uita defunctus est. P. Rem certam narras? B. Certiorem quàm uellem. P. Sed quid istuc mali? Relicta posteris honestissimi nominis immortali memoria, ab huius utæ malis demigrare in consortiũ beatorum? B. Quis istuc tibi indicauit? P. Res ipsa. Nec enim potest aliter mori, qui sic uixit.

B. At magis etiam isthuc dicæres si sciæs, quod ego

P. Quid nam obsecro? B. Non est fas referre. P. Quam ob rem? B. Quia qui credidit, stipulatus est arcani silentium. P. Eadem lege committe & mihi. Recipio tibi silentium optima fide.

B. Quanq̃ ista fides me iam sæpenumero fefellit, tamen age committam, præsertim quum res sit eius generis, ut expediat etiam esse notam bonis omnibus. Est Thubingæ quidam instituti Franciscani, uir omnibus habitus eximiæ sanctimoniæ, præterquam ipsi.

P. Magnum dicis argumentum ueræ sanctimoniæ. B. Agnoscæres hominem & fatereris uerum,

si nomen æderem. P. Quid si diuinem? B Lætæt. P. Admoue aurem. B. Quid opus, quum simus soli. P. Ita mos est. B. Is ipse est. P. Est homo ærtissimæ fidei. Mihi Sibyllæ fólium erit, quicquid ille dixerit. B. Audi igitur totum dialogum bona fide. Aegrotabat noster Reuchlinus, satis quidem periculose, sed ita ut bona spes esset fóre, ut reualescæret, uir dignus, qui nunquam senescæret, ægrotaret, aut moreretur. Mane uidebam meum Franciscanum, ut animi mei molestiam oratione sua leniret. Nam ægrotabam unà cum ægrotante amico, quem amabam ut patrem. P. Phy. Quis illum usq; nõ amauit, nisi uir pessimus? B. Hic Franciscanus meus: Brassicane inquit, emoue penitus ex animo mœrorem omnem. Reuchlinus noster desijt ægrotare. Quid, inquam, an subito reualuit? Nam ante biduum non admodum læta promittebant media. Tum ille: Reualuit, inquit, sed ita, ut posthac non sit illi formidanda ualetudo aduersa. Noli flere (nam uidebat erumpentes lachrymas) prius quam audias rem omnem. Sex dies sunt, q̃ hominem non inuiseram, sed tamen quotidianis precibus illius salutem domino cõmendabam. Hodierna nocte, quum me à matutinis hymnis in strato composuissem, blandus quidam minimeq; grauis somnus obrepsit. B. Nescio quid læti mihi præsagit animus. Fr. Non est tibi læua mens. Visus sum

mihi consistere ad ponticulum quendam, per quem transitus erat in pratum quoddam longe amœnissimum. Adeo blandiebatur oculis graminum & frondium plusquam smaragdinus uiror, sic arridebant incredibili colorum uarietate, flosculorum stellulæ, sic spirabant omnia, ut quod erat pratorum atrarium, quo dirimebatur feliçissimus ille campus, nec uiuere, nec uirere uideretur sed mortua, inamœna, putidaq; omnia. Atq; interim dum totus sum in eo spectaculo, commodum præterierat Reuchlinus. Præteriens Hebraicè precatus est pacem. Iam medium pontis transierat priusquam sentirem, parantem accurrere, respiciens uetuit. Nondum fas, inquit. Quinto ab hinc anno nos sequeris. Interim eorum, quæ aguntur testis ac spectator assistito. B. Hic ego, nudus erat, inquam, Reuchlinus, an uestitus, solus an comitatus. Fr. Vestium nihil habebat, præter unam candidissimam, damascenam esse dixisses, candore mire luxdo, ponè sequebatur puer incredibili specie, alatus. Suspicabar illius esse genium bonum. P. Sed nullus ne comitabatur genius malus? B. Imò aliquot, ut Franciscanus ille arbitrabatur. Procul, inquit, à tergo sequebantur aues aliquot, pennis cætera nigris, nisi quod explicatu alarum gluas uerius quàm candidas plumas ostenderent. Picæ, inquit, uideri poterant, colore & uoce, nisi quod singulæ duodecim picas æquarent magnitudine

gnitudine corporis, nihilo minores uulturibus, cristam gestantes uertice, rostris & unguibus aduncis, uentre prominente. Harpyæ uideri poterant, si tres modo fuissent. P. Quid moliebantur istæ furiæ? B. Proal, inquit, obstrepebant heroi Reuchlino & impetituræ uidebantur si licuisset. P. Qui minus licuit? B. Quia uersus Reuchlinus obiecta manu crucis imaginem exprimens: Abite, inquit, quo dignum est, malæ pestes. Satis sit uobis negotium facessere mortalibus. In me, iam immortalibus assciptum, nihil habet iuris uestra dementia. Vix ea dixerat, inquit Franciscanus, mox abierant fœdissimæ uolucres, sed relicto fœtore, ad quem collatum oletum uideri posset sansuginum, aut foliatum. Deierabat se atus uel ad inferos descensurum, quàm sustineret iterum afflari tali thymiamate. P. Male sit illis pestibus. B. Sed audi cætera, quæ narrauit mihi Franciscanus. Dum hæc intentus contemplor, inquit, Iam ponti uicinus erat diuus Hieronymus, qui Reuchlinum hisce uerbis compellabat: Salue collega sanctissime. Datum est hoc mihi negotium, ut te exceptum deducam in cõsortium cœlitum, quod tuis sanctissimis laboribus destinauit diuina benignitas. Simulq; uestem protulit, qua Reuchlinum induit. Tum ego, dic inquam mihi quo cultu quáue specie uidebatur Hieronymus. Erat ne tam senilis quàm illum pingunt aut cucullam habebat aut ga-

lerum ac pallium Cardinaliũm, aut Leonem comitem? Ad hæc ille. Nihil, inquit, istiusmodi. Species erat amœna, quæ sic ætatem testabatur, ut nihil haberet squaloris, dignitatis plurimum. Quorsum autem illic opus erat comite leone, quem illi pictores adiunxerunt? Vestem gerebat ad talos usq; demissam, Crystallum diæres pelluadum. Eiusdẽ erat formæ, quam Reuchlino tradidit. Tota undiq; picta erat linguis, triplici colorum uarietate. Quædam pyropum prę se ferebant. Nonnullæ Smaragdum. Tertiæ Sapphirum. Pelluœbant omnia, nec mediocrem gratiam addebat ordo. P. Conijcio id fuisse insigne trium linguarum quas calluerunt. B. Non est dubium. Nam & fimbriæ trium linguarum literis triplici colore distinctis uisebantur inscriptæ. P. Num incomitatus aderat Hieronymus? B. Incomitatus, inquis? Totus ille campus obsidebatur myriadibus Geniorum, nec aliter oppleuerant aerem totum, quàm uidemus in solis radijs uolitare minuta corpuscula, quæ uocant ἄτομα. Si tamen à re tam humili hicducenda est comparatio. Neq; cœlum uidere licuisset, neq; campum, nisi pelluœrent omnia. P. Eugę, Reuchlino gratulor. Quid deinde factum est?

B. Hieronymus, inquit, honoris gratia complexus dextrum Reuchlinum deduxit in medium pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In huius uerti

æ, uterq; alterum blando oſculo complexus eſt. Atq; interea uaſto hiatu cœlum ſuperne diduxit ſeſe: maieſtatem quandam inenarrabilem exhibens, ſic ut ad eam ſpectem, cætera penè ſorderent quæ tamen antea uidebantur eſſe mirifica. P. Non poſſis aliquam imaginem nobis depingere? B. Qui poſſim ego, qui non uidi? Is qui uidit, negauit ſe ullis uocibus uel ſomnium rei poſſe depingere. Tantum hoc aiebat, ſe uel milies mori paratum, ſi liceat iterum eo ſpectaculo quàmlibet exiguo momento frui. P. Quid tandem? B. Ex hiatu cœli demiſſa eſt ingens columna igne pelluãdo, ſed amœno, per eam in complexu duæ ſanctiſſimæ animæ ſubuectæ ſunt in cœlum, choris angelicis tanta melodia deluentibus omnia, ut Franciſcanus neget ſe unquam eius uoluptatis meminiſſe poſſe, quin erumpant lachrymæ. Sequuta eſt mira fragrantia. Vbi ſomnus reliquit hominem, ſi tamen ille ſomnus dicendus eſt, erat dementi ſimilis, non credebat ſeſe eſſe in cellula ſua. Requirebat pontem ac pratum ſuum, nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Semores eius collegij, ubi ſenſerunt rem non eſſe fabuloſam. Nam compertum eſt eadem hora terris exceſſiſſe Reuchlinum, qua uiſio uiro illi ſanctiſſimo apparuit, concordibus animis egerunt gratias deo, qui benefacta piorum præmijs ampliſſimis remunerat.

P. Quid igitur ſuperest, niſi ut ſanctiſſimi utri no-

men asscribamus calendario sanctorum? B. Id ego facturus eram, etiamsi nihil tale uidisset Franciscanus: & quidem aureis literis proxime diuum Hieronymum. P. Emoriar nisi idem facturus sum in codice meo. B. Quin & in meo lario stabit aureus inter duos selectos. P. Stabit & in meo, uel gemmeus, si suppetat animo facultas. B. Ponetur & in bibliotheca Hieronymo proximus. P. Addetur & meæ. B. Imò si grati uolent esse, idem facerent omnes, qui colunt & amant linguas ac bonas literas: præsertim sacras. P. Dignus est uideliçet. Sed nihil te mouet ille scrupulus, quod nondum relatus est in numerum diuorum autoritate Rom. Pontificis. B. Quis canonizauit, sic enim uocant, diuum Hieronymum? Quis Paulum? quis uirginem matrē? Vtrorum memoria sanctior apud pios omnes, horum quos insignis pietas, quos ingenij uitæq; monumenta commendant affectibus omnium, an Catarinæ Senensis, quam in diuarum numerū retulisse fertur Pius eius nominis secundus, in gratiam ordinis & urbis?

P. Vera prædicas. Ille demum uerus cultus est, qui sponte cœlo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorum beneficia perpetuo sentiūtur. Quid igitur putas tu huius uiri mortem deplorandam? Diu uixit, si quid ea res faat ad felicitatem hominis. Reliquit nunquam intermoritura uirtutis suæ monumenta. Benefi-

ctis consecrauit nomen suũ immortalitati. Nunc exemptus malis, cœlo fruitur, & cum Hieronymo confabulatur. P. At multa passus est in uita. B. Sed plura passus est Diuus Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati à malis. P. Fateor certe ob optima à pessimis multa perpessus est Hieronymus.

B. Quod olim fecit Satanas per scribas & pharisæos in dominum Iesum, hoc & nunc facit, per pharisaicos quosdam in optimos quosq; uiros, ac de genere mortalium suis uigilijs bene merentes. Nunc ille metit optimam messem, pro semente quam fecit. Interim nostræ partes erunt illius memoriam habere sacrosanctam, illius nomen ferre laudibus, ac subinde illum salutare uerbis huiusmodi: O sancta anima, sis felix linguis, sis felix linguarum cultoribus, faueto linguis sanctis, perdito malas linguas, infectas ueneno gehennæ. P. Ista faciam, ac sedulo prædicabo cæteris, ut idem faciant. At non dubito multos futuros, qui precationem aliquam desiderent, quandoquidẽ hoc receptum, qua sanctissimi herois memoriam celebrent.

BRAS. Hoc dicis, quod isti Collectam appellant. POMP. Salicet. BRAS. Hanc paraueram & ante mortem. P. Recita quæso. B. Amator humani generis deus, qui donum linguarũ, quo quondam apostolos tuos ad euangelij prædicationem per spiritum tuum sanctum cœlitus instruxeras, per ele-

ctum famulum tuum IOANNEM Reuchlinum mundo renouasti, da ut omnibus linguis omnes ubiq; prædicent gloriam filij tui Iesu, ut confundas linguas pseudapostolorum, qui coniurati substruunt impiam turrim Babel, tuam gloriam obscurare conantes, dum suam student attollere, quum unu tibi debeatur omnis gloria, cum Iesu filio tuo domino nostro, & spiritu sancto in æterna seaula. Amen. P. Elegans profecto & pia precatio: dispeream nisi mihi quotidie dicetur. Et hunc occursum mihi felicem duco, qui rem tam lætam ex te didicerim. B. Isto gaudio diu frucre, ac uale. P. Vale tu quoq;. B. Valebo, sed non coquus.


Ex Musæo Laudij Meron Doctoris Parisiensis

Haganoæ in ædibus Thomæ Anshelmi
Badenſis, Anno M. D. XXII.



Famill. E 2335 100 Bec.






inches
centimeters
D50 illuminant, 2 degrees observer
Density
Golden Thread
Colors by Munsell Color Services Lab